

V
B
C.R. BIBLIOTHECA
CRACOVIENSIS


V
B J
C

Q. D. B. V.

DISQVISITIO ACADEMICA

DE JVRE PRINCIPIS CIRCA RELIGIONEM

QVAM

PRÆSIDE

JO. WILHELMO GŒBEL

J. V. D. EJVSDEMQVE IN REGIO-DVCALI JVLIA P. P. O.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

AD DIEM XXVI. JVLII AN. MDCCXXV.

SVBMITTIT

AVCTOR

DANIEL DE GLINNIK GLINSKI

EQVES LITHVANVS.

HELMSTADII,

Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

INDEX CAPITUM.

CAP. I.



CAPVT I.
DE UNIONE RELIGIONUM.

SUMMARIA.

1. *De Religione universali.*
2. *Nemini vitio vertendum, quod non eandem de rebus divinis cum nobis habeat opinionem.*
3. *An nos ab Atheis separare debeamus?*
4. *An Judaei & Mahumedani fugiendi sint?*
5. *Circa indifferentia nimius zelus damnatur.*
6. *Dolendum, Evangelicos unionis interioris vinculo non cohaerere. Veteris Ecclesiae membra saepe in dogmatibus, salva unione, a se invicem discrepabant. Abstrusiores quaestiones, quorum numero maxime doctrina de praedestinatione, omittendae.*
7. *Penitioris inter Evangelicos unionis utilitas, immo necessitas.*
8. *De unione Reformatarum Ecclesiarum Magni Ducatus Lithuaniae; ubi, quid circa conciliationem diversarum in religione sententiarum observandum sit, docetur.*

§. I.



Summo Numini cultum aliquem non displicere, ipsa natura sibi relicta novit. Deum enim ex operationibus suis intelligimus ens perfectissimum, quod omnia illa, quae inter homines justa & aequa habentur, cupit, immo injungit.

Nam nulla eſſet ratio, quare Creator creaturae inclinationes, ſuis perfectionibus contrarias, indere voluerit. Jam vero humanae naturae, & hominum beatitudini in hac vita nihil convenientius eſt, nihilque juſtius, quam illi, qui beneficia in nos contulit, gratias agere, eumque revereri, nec non actiones noſtras ſecundum voluntatem ejus inſtituere; inprimis ſi facultate pollet, officii ſui immemores malis afficiendi. Hinc ille conceptus univerſalis omnium hominum, quo cauſam primam, quamcunque etiam de ejus eſſentia foveant opinionem, ut largitorem omnium bonorum, & rerum humanarum ipſiusque vitae arbitrum ſupremum concipiunt, & gratiam illius favoremque implorandum ſibi ſalutare ducunt. Si voti compotes facti, condignas ipſi perſolvendas eſſe grates, ejusque, cui & voluntas & vires puniendi adſunt, iram evitandam, atque, ſi forte ab ipſius nutu, quem ex ſui contemplatione agnoſcunt, alienati fuerint, per preces & humiliationes, quas quaeque gens genio & moribus ſuis conformes exhibet, cum eo in gratiam redeundum, è re ſua eſſè putant. Unus modus externe colendi ſupremum Numen prae alio, praecipui aliquid habere, non videtur, ſcilicet quando quaeque gens illum cultum, quem ex moribus ſuis & ingenio perfectiorem habet & eminentiorem, ipſi exhibet. Hoc tamen ſaltim locum habet, ſi certus cultus per expreſſam Superioris voluntatem non eſt praeſcriptus. Neque dicere poſſumus, conceptum illum univerſalem non à nativitate, ſed à traditione eſſe. Barbarae enim quotidie deteguntur gentes, quibus cum illis, quae moratiores dicuntur, nulla antea fuit communicatio, apud quas aliquis ſummi Numinis reperitur cultus. Addere placet EDUARDI HERBERTI BAR. DE CHERBURI verba, ex Capite I. p. 2. libri de Religione Gentilium: *Atque ita articuli quinque occurrunt, quos non noſtri tantum, ſed univerſi orbis coetus pro veris indubitatisque habere debent.* (1.) *Eſſe DEum ſummum.*

mum. (2.) *Coli debere.* (3.) *Virtutem pietatemque esse praecipuas partes cultus divini.* (4.) *Dolendum esse ob peccata, ab iisque resipiscendum.* (5.) *Dari ex bonitate justitiaque divina praemium vel poenas, tum in hac vita, tum post hanc vitam.* Et hoc modo inter homines est societas religionis universalis. Absit tamen a me, ut in illorum partes transeam, qui homines in omni religione salvos fieri posse, tradunt, quos male mulctant WERNSTORF *in brevi & nervosa de indifferentismo religionum commentatione, &* ENGELSCHAL *in seculi moderni nonnullis praejudiciis de capitibus fidei c.5.*

§. II.

Circa dogmata autem speculativa, quae articulos fidei vocare solent, mira est opinionum diversitas, quae ex diversitate facultatis cognoscendi, quatenus de iis in S. scriptura non ita manifesto est traditum, ut primo statim intuitu omnibus eodem modo patescant, potissimum exoritur. Neque enim omnibus hominibus iidem de rebus, inprimis illis, quae in sensus non cadunt, sunt conceptus. Cumque hæc diversitas cogitandi & concipiendi, non ex hominis electione, sed ex naturali ejus dispositione proficiscatur, nemo alteri vitio vertere potest, quod aliter cogitet ac ille; cum ipsi imputari nequeat, quod facultatem cognoscendi non aeque dispositam habeat, ac alius: quod enim pendet à voluntate Creatoris, non ab arbitrio nostro, illud nobis imputari non potest, atque inde nec laudem nec vituperium promeremur. Deinde inter homines quoad libertatem contemplandi est aequalitas, ubi autem est aequalitas, ibi definit potentia praescribendi leges, ubi autem non est lex, ibi etiam in legem impingi non potest, & ubi in legem impingi non potest, ibi nec contemptus nec poena locum habent. Denique opinio illa de DEO consistit in animo, in animum autem agere non possunt, nisi suasiones & consilia, non autem vis exter-

externa, qua quidem effici poteſt, ut quis aſſerat, ſe hanc vel illam profiteri opinionem, non autem inde ad effectum perducitur, ut quis revera id credat, quod ſe credere, publice profitetur. Ex hoc jam ſequitur, iniquum admodum eſſe, ſi unus alium odio proſequi velit, quod non ſecum eandem de DEO foveat ſententiam, quoniam omne illud, quod animadverſione dignum eſt, ex proereſi contra illud, quod aliter ſe habere ſcimus, agendi aut ſtatuendi exoritur, ubi autem aliter rem non concipimus, nec, quod rem aliter non concipiamus, ulla nobis imputari poteſt culpa, ibi etiam odio & poena non ſumus digni. Nefas igitur eſt, ut unum membrum ſocietatis humanae in aliud, propter diverſam a ſua religione opinionem, odium habeat. Multo magis hoc integro coetui vitio vertendum eſſe cenſeo, qui ob easdem de DEO rebusque divinis opiniones Eccleſia vocatur, ſi alium coetum, ob diſcrepantia dogmata diverſam conſtituentem Eccleſiam, diris devoveat. *Lettre de Monſieur Locke ſur la Tolerance*, quae reperitur inter opuſcula ejus *pag.* 1. *ſeqq.* EDUARD. BARO HERBERT *in tractat. de verit. prout diſtinguitur à revelatione, à veriſimili, à poſſibili & à falſo, & de cauſis errorum.* Quis enim crederet? aliquem fovere velle opinionem, quam rebus ſuis admodum noxiam eſſe putaret, eamque à veritate abhorrere, non ignoraret; jam autem omnes homines credunt, nihil magis rebus ſuis conſulere, quam ſi recte de DEO ſentiant; quis igitur ſibi perſuadere vellet, aliquem ſe determinare poſſe, ut aliter ſentiret, quam in veritate eſt, ſi veritatem aliter, ac facit, conciperet.

§. III.

Sed quaeſtio hic exoritur: quid circa illum aſſerendum, qui Athei nomine venit? Numne & ille tolerandus ſit? Multis egregiis viris dubium videtur, an tales ulli dentur Athei, qui exiſtentiam cauſſae primae negant, quod alii, per tempus aliquod fieri poſſe, arbitrantur. Nobis hic ſaltem

ſer-

ſermo eſt de illis, qui DEI providentiam aut immortalitatem animae, & reſurrectionem ad praemia aut poenas in dubium vocant. Illos nec in odio habendos, nec injuriis afficiendos eſſe exiſtimo; neque enim ob diverſam illam opinionem, inter nos & illos deſinit vinculum humanitatis. Et quis illum odio & poena dignum ſtatueret, qui ex ignoratione bene ratiocinandi contra litteram legis locutus eſt; odio tunc dignus & puniendus omnino, ſi ſciat, verba contra legem eſſe. Interim nihil magis reipublicae noxium eſt, quam perverſae ejusmodi opiniones, ſi manifeſtantur. Nam ſi nullam de DEI providentia, potentia & juſtitia habemus opinionem, quidvis moliri poſſumus- Porro ejusmodi homo nullo juramento Reipublicae obſtringi poteſt, cum ſit contemptor omnis religionis. Denique quicunque reipublicae membrum evadit, expreſſe aut tacite promittit, quod legibus Reipublicae conformiter vivere velit, & ſi hoc non facit, è Republica eiici poteſt: aſt Religio & agnitio potentiae divinae omni civitati lege imperatur, ergo Atheus, qui ſecundum leges Reipublicae non opinatur, ſuamque opinionem prodit, ut perverſum Reipublicae membrum in pace eſt dimittendum. *Hobbes in appendice ad Leviathan. Cap. II. p.* 352. Sed haec rectius ſpectant ad theſin, ubi de Principis poteſtate circa religionem agitur.

§. IV.

Cum jam Gentiles, immo ipſi Athei, ſi ſalus Reipublicae hoc pati poſſit, ſint tolerandi, multo minus Judaicae & Mahumedanae Religioni addicti, ob diverſa â noſtris fidei dogmata contumelia & poenis affici poſſunt. Et illi quoque ſibi perſuadent, veram de DEO rebusque divinis fovere opinionem. Stulti enim eſſent, ſi manerent in errore, quem errorem eſſe ſcirent. Nam ea, quae nobis ſatis perſpicua videntur, aut talia eſſe, quia ab aliis audivimus, credimus, non ſtatim omnibus talia ſunt. Negari non poteſt, Judaeos,

& Mahumedanos, primaria Religionis originariae verioris capita, à Christo magis deinde illustrata, nimirum unitatem DEI & immortalitatem animae profiteri. *La preface de l' Essais de Theodicée par Leibnitz. Le chapitre de beatitude & de l' enfer d' Alcoran dans la traduction de du Ryer p.* 142. Immo Mahumedani praeter vetus, etiam novum agnoscunt foedus, quod iis sub nomine Evangelii venit. Christum Servatorem nostrum modo supernaturali esse progeneratum, illique à DEO Spiritum sanctum esse inditum, omniumque Prophetarum, excepto tamen Mahumete, ut aberrant, maximum, eumque non cruci affixum à Judaeis, sed cum ab eis illud agitaretur, in caelum fuisse elevatum, eiusque loco Judaeum ipsi similem in crucem actum. *Vide l' Alcoran de Mahomet translaté d' Arabe en francois par du Ryer. pag.* 10. 38. 39. 46. 237. *& epitomen religionis Turcicae ab auctore jam citato translationi Alcorani præmissam.* Ut sileam non contemnendas in Alcorano latere vitae regulas, cum iis, quae nobis à Jesu Christo, mundi Servatore, vero DEI filio, sunt praescriptae, coincidentes, & ad amorem DEI & proximi, in quo, ex Jesu Christi testimonio, cardo Religionis salutiferae consistit, ducentes. Quanquam non negaverim, multis etiam fabulis & veritatum corruptionibus Turcicam scatere religionem. Quod si vero Christianus examen sui instituens perceperit, ex conversatione intimiori cum tali homine fidei suae systema turbari posse, ab ea abstineat. Hic adplicari potest, quod in sacro habemus codice de dimittendo haeretico. Nihilominus externe nostra ille fruatur amicitia & officiis humanitatis, diversis enim suis opinionibus, in quas nos nullum habemus jus, non desinit esse homo, aut incipit esse hostis. Immo Servator mundi jubet perfectiorem morum doctrinam, nimirum ut & inimicos amemus.

§. V.

§. V.

Dolendum profecto, quod inter illos, qui idem religionis ſuae fundamentum, id eſt Jeſum Chriſtum, verum DEI filium, cum DEO Patre, & Spiritu ſancto unum conſtituentem, habent, & cerimoniis fideique formulis tantum a ſe invicem diſcrepant, tanta locum habeant odia, cum tamen religio Chriſtiana, nihil, quam pacem & amorem ſpiret. Mirandum eſt & in noſtris ſaepe eo vergere nimium religionis zelum, ut etiam indifferentia, & ad ipſam religionis eſſentiam plane nihil facientia damnent. Aliqui exempli loco allegant, quod Jacobus I. Angliae Rex, quia Papam Clementem, cum de filii ſui nuptiis cum Hiſpaniae Regis filia cogitaret, ex more in aula Romana recepto, Sanctiſſimum Patrem vocaverit, praeſulum cenſurae, una cum filio obnoxius fuerit. RUSWORTH *hiſtorical collections abridg'd and. improv'd V. I. p.* 1. *p.* 103. vid. quoque *Hiſtoriam Philippi IV. hiſpanici conſcriptam a Gonzalez de Ceſpedes y Meneſes lib.* 4. c. 3. 4. fol. 131. ſqq. Addunt, & Suecos acerrimos Evangelicae religionis confeſſores, poſtquam jam tum ſedi Romanae valedixerant, Pontifici Romano in codicillis ſanctiſſimi patris titulum adſcripſiſſe, ex Puffendorfio de rebus Suecicis conſtare. Quod & magis notatu dignum arbitrantur, quominus gens illa a rebus etiam indifferentibus, ſi e re ſua eſſe putat, aut honoris & gloriae ratio requirit, ne latum unguem quidem diſcedere ſoleat. Juſſerunt itaque Grotium Ablegatum ſuum in Aula Gallica, qui ceteroquin plus juſto propoſiti tenax erat, ut potius a Rege adeundo abſtineret, quam ut ex Regis voluntate ob Ferdinandi II. Caeſaris mortem lugubri veſte indutus in aula compareret. *Puffendorff. rerum Suecicarum lib. IX.* §. 69. *pag.* 305. Mihi non ignotum eſt, eſſe, quae Sueci ad ſui defenſionem urgere poſſunt, quorum & ipſe Puffend. mentionem injicit. Nec minus ad Jacobum Regem & filium ejus, ſi cenſuram promeriti ſunt, excuſandos aliquo

modo facere poteſt,quod Buckinghamii ſtudiis & opera codicilli iſti, atro lapillo notati, ad Pontificem ſint dati. *Le Vaſſor dans l' Hiſtoire de Lovis XIII. liv.* 19. *pag.* 588. In eo autem huic autori adſtipulari non poſſum, aulam Pontificis ſibi perſuaſum habuiſſe, fore, ut Jacobus cum filio, quem ex Gundemari artibus aliquando nimis moderatum fuiſſe dicunt, obinde Catholicorum fidei formulam amplecteretur. Neque enim Romae ignorabant, titulis ludere & ludi orbem. Ejusmodi tenoris ſunt monita Catholicorum Romanorum, Anglis Evangelicis exprobrantium, quod Periscelidis Ordini cognomen S. Georgii detraxerint, congregationesque ſolemnes in alios, quam olim obtinebat, transtulerint dies.

§. VI.

Iam non tangam quaeſtionem: an Religionis Catholicae Romanae formulam ſequentes in fundamento fidei errent? ſcio enim, illam acerrimis Theologorum altercationibus ſatis eſſe ventilatam; nec, quid de articulis 30. Ludovici XIV. juſſu anno 1685. a Ieſuitis, ut unionis inter Catholicos & Evangelicos ſummis capitibus collectis, & in Alſatia templorum portis affixis ſentiendum ſit. Conf. Lundorp tom. XII. act. public. p. 225. ſqq. Sed non ſine doloris ſenſu conqueri debeo, ſi perpendo, puriori religioni addictos, qui Evangelicorum ſimpliciter & Evangelicorum Reformatorum nominibus differunt, ſe invicem odiis proſequi, & contumeliis proſcindere. Notum eſt ex hiſtoria veteris Ecccleſiae, unitatem non deſiiſſe, licet membra ejus in dogmatibus, mirum quantum ſaepe a ſe invicem diſtarent. Non enim tunc temporis tam arcti credendi & ſocietatis Chriſtianae limites poſiti erant. Seculo demum V. potiſſimum Theologia magis ad ſyſtematis ſcientifici rationem redigi caepit. *Diſcours de la conformitè de la fois avec la raiſon* ch. 6. In Romanenſi Eccleſia quaeſtiones ſunt plures centum, quae

ſalva

ſalva unitate, inter eruditos diſceptantur. Quidni ſeponi poſſent, & uniuscujusque arbitrio relinqui quaeſtiones illae, quae fundamentum ſalutis noſtrae inviolatum relinquunt? Quorum numero PERKINSIO ſunt dogma, de gratia univerſali, & de libero arbitrio, & PARAEO Concluſiones de praedeſtinatione, eius cauſſis & affectionibus. Idem Regi Britanniarum Iacobo I. viſum eſt, qui cum legiſſet indiculum quaeſtionum, quae de praedeſtinatione & annexis capitibus apud Batavos exortae erant, in litteris 6. Martii Anno 1613. exaratis monuit: *non ita inter ſe diſtare ſententias, quin cum Chriſtiana veritate & ſalute animarum poſſent conſiſtere.* GROTII *Apologeticus eorum, qui Hollandiae praefuerunt. C. 4, p. 35. ſqq.* Scio quidem, Iacobum Remonſtrantium Bataviae theſibus parum admodum ab initio faviſſe & in Vorſtium regium ſtrinxiſſe calamum; verum Grotius ad eum Hollandorum Legatus, ut aliter de eorum dogmatibus deinde ſentiret, effeciſſe videtur. VASSOR *Hiſtoire du Regne de Lovis XIII. Tom. liv. 2. pag. 245. ſeqq. 521. ſeqq.* Neque enim quenquam onerare poſſumus, quaſi omne id ſentiat. Negari autem non poteſt, inter ſpinoſiſſima merito dogmata illud ponendum eſſe, quod de praedeſtinatione ventilatur, de quo magis adhuc convictus erit, qui ſedula manu pervolvet, & ut par eſt perpendet, quae *in vindiciis gratiae, poteſtatis ac providentiae DEI a* GVILIELMO TWISSO *ſunt congeſta. Add. Praefatio Theodiceae Leibnitzii, & Diſſertatio de cauſſa DEI aſſerta per juſtitiam ejus.* Atque utinam his temporibus audiatur Beatus Auguſtinus, qui pios quosdam & religioſos viros, de praedeſtinationis myſterio non ſatis inter ſe convenientes, his verbis commonefecit: *Nunciatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in veſtra ſunt congregatione, & ad nos inde venerunt, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſint. Itaque dilectisſimi, ne vos perturbet hujus quaeſtionis obſcuritas, moneo vos primum, ut de his, quae intelligitis, agatis DEO gratias,*

quidquid eſt autem, quo pervenire nondum poteſt veſtrae mentis intentio, pacem inter vos & charitatem ſervantes, à Domino ut intelligatis orate, & donec res ipſa perducat ad ea, quae nondum intelligitis, ibi ambulate, quo pervenire potuiſtis. Hoc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet, nondum ſe eſſe perfectum, paulo poſt ait: *quotquot autem perfecti ſumus, hoc ſapiamus*, id eſt, ita nos eſſe perfectos, ut nondum ad perfectionem, quae nobis ſufficit, venerimus. Nec minus egregia ſunt IRAENEI, quae extant *lib. 2. de haereſibus. Melius eſt nihil omnino ſcientem quempiam, ne quidem unam cauſſam cujuslibet eorum, quae facta ſunt, cur factum & credere DEO, & perſeverare in ejus dilectione, quae hominem vivificat, nec aliud quaerere ad ſcientiam, niſi Jeſum Chriſtum filium DEI, qui pro nobis crucifixus eſt, quam per quaeſtionum ſubtilitates, & multiloquium in impietatem cadere.* Cum his coincidit ſententia HILARII *libro. X. de Trinitate. In ſimplicitate fides eſt, in fide juſtitia eſt, & in confeſſione pietas eſt, non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quaeſtiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiae genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt aeternitas, Jeſum ſuſcitatum à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum, confiteri.* Vide *Anonymi libellum de officio pii viri in hoc Eccleſiae diſſidio*, qui adhaeret tractatui *de corruptis moribus, qui Religionis ſanctiſſimum negotium impediunt & concordiam Chriſtianam deſideratiſſimam indies magis magisque inſectantur pag.* 113. *ſeqq.* Nec omittenda ſunt aurea haec NAZIANZENI: *Theologia res eſt ſimplex & nuda, ſine magno artificio, divinis conſtans teſtimoniis, quam tamen pravè quidam evertunt in artem difficillimam, quae controverſias magis praebet, quam aedificationem &c.* Adde ARNOBII verba *ex lib.* 2. *adverſus gentes: litigioſas ſerere atque intendere quaeſtiones, nos linquere & poſthabere praecepit Chriſtus.* Neſcio an ita diſplicere poſſit Hugonis Grotii conciliatio diſſidentium de re praedeſtinaria & gratia opinionum, quae inter opuſcula ejus p. 236. extat. Vide quo-

que

que ejus *disquisitionem de dogmate Pelagiano*, quae adhaeret *annotatis ad consultationem Cassandri*, & *ipsa annotata pag.* 32. & *sqq.* nec non *orat. habitam olim in senatu amstelodamensi* quae reperitur inter opuscula ejus p. 443. *seqq.* Quid si circa praedestinationis negotium formula, quam tradit GODOFREDVS HOTTO *de Christiana inter Europaeos Evangelicos concordia sive tolerantia Cap. IX. pag.* 110. placeret, *Salutem suam, a solo DEO in Christo esse, eam ex purissima gratia electionis, ante mundi fundamenta jacta, salvandis paratam esse, ex qua ceu scaturigine aeterna, profluunt in tempore universa alia beneficia, ut vocationis, regenerationis.* Non ignoro, quosdam reperiri, qui loca illa, quae praedestinationi favere videntur, de potestate DEI absoluta, qua in creaturas suas pollet, non autem relativa ad DEI misericordiam & Christi meritum, qua ipsum in servandis hominibus uti asserunt, intelligenda esse dicunt. Nec tacito involvenda silentio celeberrimi cujusdam viri opinio, existimantis, loca sacri codicis, quorum pauca admodum sunt, non de individuorum praedestinatione, sed de praerogativa ordinis Judaeorum, quam in praedicatione Evangelii, conversione & admissione ad Regnum Christi, ante gentiles habere debebant, loqui. Sed ego merito hic meum suspendo judicium. Quam salutare esset rei Christianae, ab inutili mysteriorum abstinere scrutinio, & circa modum investigandum judicium suum suspendere. Tolerandum videtur Synodi Charentonensis in Gallia decretum: praesentiam corporis Christi realem credere aut non credere, indifferens esse.

§. VII.

Dici non potest, quot in res Evangelicorum ex penitiori tolerantia & Ecclesiarum unione proficiscerentur utilitates, ut eam non tam utilem quam necessariam esse putem. Loquor hic de illa unione, qua omnes unam fidei formulam

ſequerentur, capitibus illis difficilioribus, in quibus concordare non poſſent, uniuscujusque arbitrio, cum fundamentum fidei non tangant, relictis; aut ſaltem, ſi diverſas fidei formulas ſequi vellent, ut ſe invicem pro fratribus & unius coetus membris haberent. De concordia interna, quoad ipſas opiniones, quae conſiſtunt in animo, DEVS judicare poteſt. Nam homines animi ſui ſenſa ſub ſignis, ab actibus mentis diverſis, tegere poſſunt. Inde contingere poteſt, ut membra diverſorum coetuum in opinionibus ſuis conveniant, quoad externam autem fidei profeſſionem, unumquodque ſuo coetui adhaereat. Utilitatum unionis externae quasdam recenſet HOTTON, *loco citato cap. X.* Et licet ſaepiſſime hactenus in Germania concordia tentata fuerit, negotium tamen tam ſalubre ſemper proſpero caruit ſucceſſu; cauſas ejus memorare odioſum eſt.

§. IIX.

Inter reformatas magni Ducatus Lithvaniae Eccleſias, quarum aliquae Bohemicam, aliquae tamen Auguſtanam & Helveticam ſequuntur Confeſſionem, non minus unio & concordia omni ſtudio conatuque tentata eſt; ſed multis ſane vicibus ii, qui huic negotio operam dabant, infectis rebus diſceſſerunt; usque dum Sendomiriae Anno 1570. die 14. Aprilis, a Bohemicae, Helveticae & Auguſtanae Confeſſinis Sociis initus conſenſus eſt, cujusque vinculum conſentientes in eo poſitum arbitrabantur, ut quemadmodum Helveticam, Bohemicamque Eccleſias ac Confeſſiones in Synodo productas, Auguſtani fratres orthodoxas teſtati fuerant, ita vice verſa Helvetii atque Bohemi, Auguſtanorum Eccleſias & confeſſiones eodem Chriſtiano amore proſequerentur, & Orthodoxas faterentur, utraque vero pars, (uti ipſimet loquuntur) externum diſſenſionibus valediceret, & altum ſilentium imponeret omnibus rixis, diſtractionibus, dis-

ſidiis,

ſidiis, quibus Evangelii curſus non ſine multorum piorum offenſione impeditus, & unde adverſariis non levis calumniandi, & verae Chriſtianae Religioni eorum contradicendi occaſio ſubminiſtrata eſſet, ſeque obligaret, Paci potius inpoſterum ac tranquillitati publicae ſtudere, charitatem mutuam exercere, & opera mutua ad aedificationem Eccleſiae pro fraterna conjunctione praeſtare, *Videatur Praefatio libelli*, qui vocatur, *conſenſus Sendomirienſis*, a doctiſſimo D. STRIMESIO opuſculo illi praemiſſa. Aliquoties quidem Vilnae agitatum, ut arctiori mutui illius conſenſus & concordiae nexu jungerentur, & hunc in finem Regiomonto Boruſſorum Theologi accerſiti ſunt; ſed neſcio quo fato omnis, ſaluti Eccleſiarum bene cupientium labor fuerit irritus. REGENVOLSCIVS *Hiſt. Eccleſ. Slavonic. Provinc. lib. I. pag.* 140. Veniunt mihi in mentem illa SALVSTII *in bello Catilinario* A DIONYSIO PETAVIO *in epiſtola dedicatoria*, *ad* Segnierium Galliae Cancellarium, libelli de poteſtate conſecrandi, & adverſus Grotium de caenae adminiſtratione prolata: *omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant ab ira & odio vacui eſſe debent.* Hiſce jungi merentur praeclara haec HILARII *in libr. X. de Trinit. immoderata eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu adverſandi ſtudium perſiſtit, ubi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinae impenditur, ſed iis, quae volumus, rationem conquirimus, & iis quae ſtudemus, doctrinam comparamus. Iamque nominis potius, quam naturae erit doctrina, quae fingitur, & non jam veri manebit ratio, ſed placiti, quam ſibi voluntas magis ad defenſionem placentium cooptavit.* Suadet PVFFENDORFIVS *in jure feciali divino, ſive de conſenſu & diſſenſu Proteſtantium, pag.* 30. *Ut conſenſui ad conciliationis negotium convocando, praeter Sacerdotes, aut Theologiam Profeſſos, adjungantur alii quoque pietate & prudentia conſpicui Viri, ſolida tamen rerum Theologicarum notitia imbuti, tum moderati ac negotiorum tractandorum periti,*

ti, non solum temperando fervori, quo fere ejus professionis homines agitari solent, sed & qnia ipso jure divino, & ex natura regni Christi judicium de rebus fidei non ad ministerium solum, sod universam Ecclesiam spectat.

CAPVT II.

DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA RELIGIONEM.

SUMMARIA.

1. *De iis, quae principi circa interna religionis secundum nonnullos licent.*
2. *De jure Principis circa cultus divini externa.*
3. *De potestate Principis leges Ecclesiasticas ferendi.*
4. *Principis potestati & judicio tam clerus, quam controversiae ecclesiasticae subsunt.*
5. *Penes quos sit jus eligendi Ecclesiae ministros.*
6. *Potissimum allaborandum, ut illi commodis & piis sint moribus.*
7. *De jure convocandi synodos,*
8. *Penes principes est curare, ut certae religionis formulae conscribantur,*
9. *Defenditur Hotton contra Puffendorfium.*

§. I.

QVamvis igitur Religio, quatenus in animo consistit, imperio non subsit, ut eleganter GERHARDVS JOHANNES NOODT *in oratione de Religione ab imperio libera* demonstravit; neque ea, quae ad symbola Religionis Christianae interiora, ut sunt sacramentorum administratio, & verbi divini

divini praedicatio, ſpectant, ad Principis curam referantur: Attamen nonnullis videtur, non eſſe ita iniquum, ut ſacerdotes circa illa hallucinantes a Principe ut primario Chriſtiani coetus membro, & Reipublicae capite in viam reducantur. Qua propter ſunt, qui dubitant, an Anglorum Reginae Eliſabethae vitio verti quiverit, ſi vera eſſent, quae SANDERVS *de Schismate Anglicano pag.* 304. refert, quod, ut ſummam in ſacris oſtenderet poteſtatem, Eccleſiaſten ſuum aberrantem, è ſolio Regio his verbis allocuta ſit: *Domine Doctor vagaris, & effutis multa inpertinentia, recipe Te ad textum, quem nobis exponendum ſuſcepiſti.* Neque ea, quae Paulus de ſilentio mulierum in Eccleſia profert, Reginae, ut Eccleſiae & Reipublicae capiti, accommodari potuiſſe, putant. Vide tamen *Baylii Reſponſe aux queſtions d' un Provincial. Tom. I. cap. X. pag.* 57. Numne crederes, ajunt, Hugonem Grotium, Reginae Sveciae ad Gallos Ablegatum, reprehendi potuiſſe, ſi ſacerdotes, quos habebat in comitatu, unum Evangelicae Lutheranae, alterum Evangelicae Reformatae religioni addictum, ſaepiſſime pro concione nihil aliud, quam convitia in adverſam religionem proferentes, ſevera, loco tamen & tempori convenienti inceſſiſſet objurgatione. Quis enim crederet, talia a Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus pacis, quidquid etiam blateraret Doctor Ambreus de infuſione Spiritus ſancti; Vide *memoires pour ſervir a l'. hiſtoire d' Holande par* LOVIS AVBERY pag. 458. proficiſci potuiſſe: interim nos hic το επεχειν ſequimur. Et quod ad uſum epanorthoticum attinet, ſacerdotibus quidem in ſacra ſcriptura vitiis publice ſuccenſere injunctum eſt; Sed ut illorum, qui ea perpetrarunt, in publica cathedra recitentur nomina, nullibi praeceptum. Nathanis Davidem ob adulterium increpantis exemplum, ut ſingulare quid ex ſpeciali DEI mandato profluens, regulam facere non poteſt; immo haec objurgatio inter privatos facta eſt parietes. Exinde in *jure Canonico Capitul. ſi ſacerdos X. de*

officio judicis ordinarii ſtatutum: *Sacerdotem neminem nominatim criminis arguere debere*; praeſertim ſi Principum vitia ſint cenſenda, verba in factum temperari debent. Morbidum enim Reipublicae Caput non deſinit eſſe caput. Hinc Monachus Peto in Henricum VIII. ad matrimonium cum Anna Bolena provolantem, acerbiſſime invehens, ejusque defenſorem publice adverſus Doctorem Corvinum agens Elſtovius, ſeveriori cenſura & animadverſione digni fuiſſent. HOWES UPON STOU *p.* 562. *Hiſtorical collections.*

§. II.

Ea quae ad cultum externum ſpectant, Principum ſupremae poteſtati civili, quam habent in territoriis, ſubeſſe, nemo facile rerum peritus & ex veritate judicium ferens abjudicabit. Quaecunque enim ad Rempublicam conſtituendam aut conſervandam faciunt, illa curae Principis ſubſunt: Aſt Respublica ſine metu DEI conſervari nequit; igitur metus DEI, quatenus ſalutem Reipublicae reſpicit, ad Principis directionem pertinet. Notandum putamus, efficacius nullum eſſe animorum coagulum, quam religionem, ſine Numinis enim metu & probitate morum, nulla videtur commode conſtare poſſe Respublica. GROTIUS *de J. B. & P. lib.* 2. *c.* XX. §. XLIV. Religio namque homines placidos, obſequioſos, amantes patriae, juris & aequi retinentes efficit. Ita autem animatis civibus non poteſt non felix eſſe Respublica. GROTIUS *de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra pag.* 12. MONZAMBANO *de ſtatu Imperii Germanici cap.* 7. §. 9. CLASEN *compendium Politicae pag.* 300. *ſeqq.* Quam ſalutare ſit Reipublicae, ſi cives de Principis ſui Religione bene perſuaſi ſint, exprimi nequit. *Minus enim populus timebit, injuſte tractari a Principe, quem religioſum credit.* ARISTOTELES *de republica lib V. c. XI,* Quamobrem non pauci, ut eo paratiores eſſent ſubditi, ad morem imperatis gerendum, ſub religi-

religionis umbra fallere consultum putarunt. *Considerations politiques sur les coups d' etat par* NAUDEE *p.* 82. *sqq.*

§. III.

Quaenam sint partes Principis circa sacra, exponit HVGO GROTIVS in libro jamjam citato, & PVFFENDORF *de habitu Religionis Christianae ad vitam Civilem* §. 44. *seqq.* Curare nempe debet Princeps, ut ordinate & decenter sacra externa celebrentur, ut honestae adhibeantur Ceremoniae; nam & illas, quatenus jure divino sunt indifferentes, ad Principis arbitrium spectare opinor; cum ad animae salutem non requirantur. Hinc Leges Ecclesiae sunt ferendae, atque hoc jus a Principibus Christianis, antiquioribus etiam temporibus, cum dominatus Papalis nondum ita invaluerat, exercitum fuisse, variae in corpore juris & capitularium R. F. collectionibus extantes Ecclesiasticae Leges comprobant. *Vide* BALVZIVM *in praefatione ad capitularia Regum Francorum.*

§. IV.

Nec minus Clerici subsunt Principibus, quibus de personis eorum, & causis Ecclesiasticis judicandi, & de iis statuendi, competit facultas, quoniam ex placito sacrae scripturae omnis anima subesse debet potestati Civili. Neque Sacerdotes aut negotia ad illos attinentia, ullibi sunt excepta. GROTIVS *de imperio summarum potestatum circa sacra Cap.* 3. *&* 4. & *de dogmat. utilib. & gubern. Eccl. in opusc. p.* 329. *seq.* Deinde ipsa ratio suadet, ut Sacerdotes cum controversiis Theologicis sub Principis sint judicio aut mediate aut immediate; quodsi enim sub extraneo à Principe non dependente essent, non essent sub plena potestate Principis, nam pars quoque judiciaria constituit partem aliquam analogicam summae potestatis Civilis. Videmus igitur, quam noxia sit illorum, qui formulam Romanam sequuntur, doctri-

na, qui Clericos eorumque caussas summo inter eos Praesuli, & iis, qui ab ipso jus judicandi habent, vindicant. Paternum semper & sacerdotale veteris testamenti regimen sub Imperio erat civili, & judicium, quod sacerdotibus competebat, saltem erat directivum, non coustitutivum, & singulis Ecclesiae membris de rebus sacris competebat judicium discretionis; norma autem judicandi erat sacra scriptura, quod nec in novo testamento ullibi mutatum est. Contingere quidem potest, ut coetus quidam diversam a Principis Religione, sub quo vivit, fidei formulam sequatur; ubi consultum puto, si controversiae inter eos ad res Religionis attinentes exoriantur, ut in arbitros, e numero suo constituendos, compromittant; quodsi autem hoc modo lites terminari nequeant, videtur omnino res ad Principem deferenda, ut, juxta fidei normam, quam ille coetus agnoscit, dijudicentur. Caussas matrimoniales Principum judicio subesse, minus habet dubii, natura enim sua, maximam partem, seculo debentur, quas Romana Ecclesia, secundum nonnullos, ut septenarium sacramentorum numerum complere posset, sacras & ecclesiasticas fecit.

§. V.

Neque Principibus denegari poterit examen eorum, qui subditorum suorum animas curare debent. Interest enim Reipublicae, pios & pacis amantes habere Ecclesiae ministros. Dici enim nequit, quanta auctoritate Sacerdotes in vulgi animos valere soleant. Non equidem ignoro, antequam Imperatores & Reges Christo nomen darent, jus praeficiendi Sacerdotes, aliosque animarum curam habentes, fuisse penes universiatem, suarum animaruru curam illis ducibus submissuram. Postquam vero Reipublicae capita Christianae Religionis imbui caeperint dogmatibus, eorum, ut Ecclesiarum Protectoribus & inter socios in caetu Christiano, tanquam praecipua membra, directorio gaudentibus, circa

ca constitutionem Episcoporum aliorumque Praesulum potiores fuerunt partes. Saepe populus plenum ipsis jus constituendi Sacerdotes permisit, ita tamen, ut deinde contra constitutum, si quae haberent, monere possent; Saepe vero Principes jus tantum adprobandi & confirmandi, ut praecipuum, habuerunt. Confer late hoc argumentum prosequentes PETRVM DE MARCA *de Concordia Sacerdotii & Imperii t. 2. lib. 6. c. 2. - 3, 17. lib. 8. c. 14.* BALVZIVM *t. 2. p, 594, 885. 1141, 1371.* GROT. *de imperio summarum potestatum circa sacra* c. X. ALTESERRAM *de Ducibus & Comitibus Provincialibus.* CONRINGIVM *de Constitutione Episcoporum Germaniae.* ZIEGLERVM *de Episcopis Cap. II.* Licet negari non possit, vulgi judicia circa res sacras, immo & ipsam animarum suarum curam frequenter admodum vacillare, cum nonnunquam sacerdotem eligendum, non ex moribus & doctrinae integritate, sed ex voce, ultra solitum ad clamores apta, & gesticulationibus ministro Ecclesiae saepè indignis, aestimare soleant; nihilominus cum hoc in quam plurimis etiam aliter se habeat, & ad animae solatium faciat, illi ejus curam committi, a quo maximum expectamus solatium, ut illis, quorum animus doctrina sacra & Christianis moribus est imbuendus, conscientiarum directoris, sub Principis tamen moderamine, electio permittatur, conducit. Quodsi nihil juris Ecclesiis circa Presbyterorum electionem concedatur, sed circa illos constituendos solus Princeps sit solicitus, utut etiam hanc spartam alius saepe exerceat, quem patronum dicunt, iniquum esset, fidei sociis Pastorem, quem ob perversos mores, & docendi incapacitatem sequi non possent, obtrudere velle. Quapropter recte facit Princeps, si monita Ecclesiae membrorum non susque deque habeat, sed illa accurate a Viris probis, & rerum peritis examinari, & deinde juxta illorum sententiam, circa ecclesiae ministrum stabiliendum aut reprobandum statuat. Nec, secundum indolem sacri codicis, ne-

cessarium esse censeo, quod BLONDELLUS in tractatu de hoc argumento conscripto asserere videtur, ut regimen Ecclesiae semper sit penes universitatem aut ejus deputatos, quidni etiam hoc Episcopis a Principe committi posset.

§. VII.

Praeter haec curam sacrorum, quae Principi incumbit, sese ad doctrinam, ne forte Reipublicae sit noxia, & ordinem decusque Ecclesiae, ut & mores, secundum praescriptum Christianae Religionis potissimum formandos, nec non cerimoniarum usum, ut monitum, quippe qui haud dubie ad sacrorum externa spectat, extendere censent, quoniam Respublica, si cives placidis, quos verbum divinum inculcat, moribus, destitutos habet, plerumque fluitare solet. GROTIUS *de dogmatis, quae reipubl. noxia sunt aut ducuntur p.331.sqq.* Imprimis autem Reipublicae caput operam det, ut Ecclesiae ministri commodis & piis sint moribus; In plebem enim, quae ad res & personam sui Sacerdotis admodum solet esse attenta, plus saepe bonorum morum exercitio, quam propositis vitae regulis effici potest; doctrinae namque propter incultum plerumque ingenium, non ita est capax, mores autem in sensus incurrunt.

§. VIII.

Quodsi itaque circa mores, aut doctrinam vel etiam cerimonias in caetu Christianorum adhibendas, dissidia exoriuntur, princeps ad illa componenda, si ex utilitate rei Christianae esse arbitratur, Viros, quos ad controversiarum, quarum dijudicatio deinde penes ipsum est, examen aptos existimat, convocare potest. Habet enim jus ad finem, id est, ut concordia & unitas in illo caetu conservetur, igitur etiam habet jus ad media, quae ad talem finem consequendum faciunt. Vnde recte colligimus, penes Principes esse jus convocandi Concilia, quod eis multis rationibus, & locis ex antiquitate desumptis EDMUNDUS RICHERIUS adju-

adjudicat. Quodsi corpus aliquod morale variis est compositum Rebuspublicis, in quo plura sunt subjecta Majestatis existentiae, in illo, si conventus universalis sacer haberi debet, ut omnia membra cum Capite, aut plurima saltem eorum, nisi conventio obstet, in Ecclesiae ministrorum & Laicorum, ad pertractanda Ecclesiastica negotia idoneorum congressum consentiant, necessum est. Illud enim ratio & forma ejusmodi systematis aut reipublicae mixtae requirit.

§. IX.

Ex hac igitur Principum circa sacra statuendi & de iis judicandi potestate fluit, quod penes ipsos sit jubere, ut certae fidei formulae juri rationis & revelationis, in quantum hoc Christianos obstringit, non contrariae, compilentur, suosque subditos in eas adstringere, nisi pacta obstent. Principes autem ante omnia operam dent, ut controversiae de religione compescantur, iisque, dum hoc fiat, diffidentibus, ut se invicem amice habeant & ab odiis injuriisque abstineant, injungant. Nec video, quidni Principes turbidos, a pace ecclesiae & Christi vestigiis alienos ecclesiae ministros, ut & alios fidei socios, vitae integritate pacisque consiliis destitutos, Christianorum caetibus, qui sub eorum sunt regimine, ejicere possint. Hoc enim eorum officium, quo sunt nutritores, & defensores Ecclesiae, requirit. Reliqua, quae hoc argumentum concernunt, ex GROTIO *de jure summarum potestatum circa sacra*, & PUFFENDORFIO *de habitu religionis christianae ad vitam civilem* sunt haurienda.

§. X.

Ceterum, antequam ad alia progrediamur, monere liceat, esse, quae ad excusanda ADRIANI HOUTUYNI themata *in politica contracta*, quae damnat PUFFENDORF

in

in appendice libri modo citati, faciunt. Etenim nefcio, quid mali habeat haec propofitio: *Principem regere facra externa, & lege divina non definita.* Nam Principis poteftas circa facrorum externa, quatenus illa ad reipublicae tranquillitatem aut ftabiliendam aut confervandam faciunt, potiffimum eft occupata; nec officit, quod externa faepe tam arcto nexu internis jungantur, ut fi de iftis aliter difponatur, quam nexus ifte requirit vel admittit, interna quoque non poffint non alterari, & convelli. Enimvero interna, quatenus funt acceſſorium externorum, fub horum nomine commode comprehenduntur. Non omnia namque interna fpectant ad animae falutem, ut partes neceffariae. Quapropter dici non poteft, HOVTVYNVM principia interna religionis, quae cum externis nexum habent, Principis poteftati fubducere. Deinde homines civitatem conftituentes, fe omnibus, quae ex Superioris judicio falus reipublicae requirit, fubfcribere velle, tacite vel expreffe promittunt, exinde etiam, fe ex nutu Superioris, ftabilitam Religionis formulam fecuturos confentiunt; Nifi quis fibi focietatem civilem ingrediens ab affumpta in territorio religione publicè difcedendi, fuaque facra feorfim habendi, libertatem ftipulatus fit, aut id juris omnibus, ex generali quadam conventione, competat. Porro difplicent PVFFENDORFIO haec ADRIANI: *regit ecclefiam Princeps Chriftianus, qua congregatu accipitur & perfonae unius vicem fuftinet: eft enim tunc ecclefia etiam focietas civilis, corpus civile & politicum, & auctoritate ac vi publica roboratum, quam ei civitas accommodat, & in eadem cum ceteris collegiis & corporibus, conditione, quo fenfu in territorio fuo Rex caput ecclefiae.* Quid haec verba abfurdi contineant, perfpicere nequeo. Rex regit ecclefiam quoad externa religionis, ut partem reipublicae, & fic dici poteft, quod hoc intuitu fit corpus civile & politicum, & Princeps eodem fenfu Caput ecclefiae vocari poteft. Sic & nihil iniqui habere non-

nonnulli cenſent, quando idem autor *ob imperium circa ſacra ſummis poteſtatibus nomina Paſtorum, Miniſtrorum, Praeconum DEI, Epiſcoporum, Pontificum, Sacerdotum, Apoſtolorum, tribui poſſe*, affirmat. Notum enim eſt, omnes chriſtianos in generali ſignificatu, ſacerdotes appellari poſſe, neque deſunt loca S. ſcripturae, huic appellationi faventia. Multo magis Principes caetuum Chriſtianorum primaria membra & directores, hoc & ſimilibus nominibus compellari poterunt. Summis enim poteſtatibus, ob communitatem materiae, circa quam verſantur, & finis, ad quem tendunt, nomen, interdum alterius functionis proprium, tribuitur. Conſtat, veteres Imperatores ſummos ſacerdotes & Pontifices eſſe vocatos; immo pia antiquitas Principibus ſuis talia adſcripſit nomina. Hinc Conſtantinus M. non una vice vocatur Epiſcopus ἰσαπόστολος interdum ἐν βασιλεῦσιν ἀπόστολον nuncupatur. Valentinianus & Martianus Imperatores in edicto, quo Chalcedonenſis ſynodi acta adprobant, inclyti Pontifices dicuntur. Quanquam haec verba edicto deeſſe, a nonnullis moneatur eruditis; minus vero dubii habet, Imperatori Martiano in ipſa ſynodo acclamatum eſſe: Pontifici Imperatori. Vide plura apud GROTIUM, *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, cap. II. §. ult.* Hoc juribus ordinis eccleſiaſtici, quippe cui in ſpecialiori ſignificatu iſtae adpellationes conveniunt, plane non derogat. Deinde nullam videtur Houtuyni aſſertum: *Principem publicam facere religionem*, mereri caſtigationem. Eſt enim penes Principem, quam velit in ſuo territorio publice doceri religionem, ſtatuere; & ſi qui ſunt, qui ab ea abhorrent, niſi pacto, ut ſupra monui, vel privilegio libertatem religionis habeant, migrandi ipſis danda eſt facultas. Ita & tolerari poteſt, *quod jus conſtituendi illos, qui religionem docent & ſacram functionem faciunt, ſit penes Principem, tanquam caput.* A priori enim fit denominatio, nec ideo reliqua reipublicae chriſtianae membra excludun-

tur;

tur; immo sunt, qui putant, posse Principem coetui subditorum, qui diversa a suis colit sacra, Commissarios addere, si circa ecclesiae Ministri electionem sit occupatus, ne forte is, qui ciendis in republica motibus occasionem praebere posset, eligatur. Plura hujus argumenti dogmata, a PUFFENDORFIO, ut minus recte se habentia notata, investigationi nunc substernere, propositi nostri ratio non patitur.

CAPUT III.

DE INIQUO PAPAE TAM IN SECULARIBUS QUAM ECCLESIASTICIS AFFECTATO UNIVERSALI PRINCIPATU.

SUMMARIA.

1. *Pontifici, ob suppositam universalem potestatem, fucati tribuuntur tituli.*
2. *Seculare pontificis Imperium a quibus autoribus profligatum, & quid de eo Clerus Gallicanus a. 1682. statuerit.*
3. *Nec Papae in spiritualibus summa & universalis competit potestas.*
4. *Augustissimi magnae Britanniae Reges supremum circa sacra jus sibi merito vindicant. Quid obtinuerit sub veteribus Britannis & Anglo Saxonibus.*
5. *Quid sub Danis & Eduardo confessore, ut & sub Normannis & Plantagenistis habuerit, locum.*
6. *Quomodo se potestas circa sacra sub domo Lancastriae, Henrico VII. cum descendentibus habuerit.*
7. *Quid sub Jacobo I. hac in parte actum.*

§. I.

QVo clarius itaque constat, Principi in territorio suo, supremum jus circa sacra & in personas ecclesiasticas, quae non desinunt esse subditi, competere, eo iniquior est

eſt Papae, tam in ſecularibus quam eccleſiaſticis affectatus primatus, & imaginaria Monarchia univerſalis. Confer GROTII *diſſertat. de ſummo ſacerdotio* p. 297. ſeqq. Dici non poteſt, quot & quae hujus duplicatae poteſtatis Papalis, quam ut Apoſtolicam orbi obtrudunt, in publicum producantur elogia, quorum quaedam ab autore tractatus hiſtorici *ſur le ſujet de l' excommunication* & *de la depoſition des Rois pag.* 30. referuntur: vide quoque *la reviſion du concil. de Trente liv. II. chap.* 9. 10. 11. 12. *pag.* 237. *& ſeqq.* Quis non rideret fucatam hanc, qua Epiſcopi Bavariae Papam Johannem onerabant, compellationem: *ſummo Pontifici univerſali Papae, non unius urbis, ſed totius orbis Domino Johanni Romanae ſedis gubernatori magnifico &c.* HARDVIN *tom. 6. conciliorum p.* 483. ex quo plures hujus generis adulationes colligi poſſunt.

§. II.

Univerſale illud in ſecularibus imperium, quod Pontifices ſibi arrogant, jam dudum a viris doctis EDMUNDO RICHERIO, LAUNOJO, in cujus epitomatore, qui ſub nomine Anti Bellarmini prodiit, ſunt quae deſiderantur, ut & MOLINAEO *dans la nouvelle decouverte du myſtere d' iniquite, & in Monarchia Pontificis* aliisque, ut neque rationi neque revelationi conſentaneum, profligatum eſt. Vide ſis PUTEANI *vol. de eccleſiae Gallicanae libertate, & autores,* in SCHARDII *Syntagmate, de imperiali jurisdictione & poteſtate eccleſiaſtica.* Clerus Gallicanus anno 1682. congregatus pro dignitate tantae gentis palam profeſſus eſt: *Papae a DEO non eſſe traditam civilium ac temporalium poteſtatem, dicente Domino: Regnum meum non eſt de hoc mundo, reddite ergo, quae ſunt Caeſaris, Caeſari, & quae ſunt DEI, DEO, ac proinde ſtare Apoſtolicum illud: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi a DEO, quae autem ſunt, a DEO ordinata ſunt, itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Reges ergo &*

Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati DEI ordinatione subjici, neque authoritate clauium ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse, eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus ecclesiae, quam imperio utilem, ut verbo DEI, Patrum traditioni, & sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam. Merentur hic addi, quae Procurator generalis Parlamenti Gallicani in consessu Deputatorum Parlamenti & Academiae Parisiensis, die 8. Maji 1682. congregato, locutus est. *Gregoire VII. au contraire & ceux de ses successeurs, qui ont imitè sa conduite, ont attiré sur l' Eglise & sur eux mesmes des maledictions visibles, ils ont rempli d' horreur & de trouble la maison du Dieu de la paix. Lex Royaumes Chretiens on estés revagés par les guerres, qu' ils y ont excité, la terre a esté inondée du sang des fidelles, les temples ruinèz, les choses saintes prophanées: & dans ces tempestes, qui ont desolé les Estats, les meurs se sont corrompües; plus de deference pour les Ministres de Dieu, plus de respect pour la Religion, les schismes, les Heresies sont entrées dans le sanctuaire & plusieurs de ces Papes obligez de quitter leur Siege n' ont eu, que trop de sujet de connoistre mesme par la fin deplorable de leur vie, qu' ils ne peuvent esperer de recevoir le respect, qui est du aux Vicaires de Iesus Christ, que lors qu' ils en observent les preceptes, & qu' ils se conduisent par l' esprit de son Evangile.* Supra jam monui, rationibus rerum publicarum admodum adversari, quod clerus Principis sui obsequio ademptus, extraneo, utpote Pontifici Romano, ejusque subordinatis, substernatur. Nisi RICHELIVS Cardinalis dignitate eminens fuisset, admiratione dignum esset, quod ille, ut Purpuratorum in aula Gallica princeps, clerum Regis sui imperio subtrahere, & Pontificis potestati subjicere voluerit. *Testament Politiq. Chap. 2. sect.* 3. *pag.* 94. Nescio quomodo hic illustris auctor, si testamentum politicum conscripserit, assererere

rere potuerit, non ſolum naturae & gentium juri, ſed & revelato, Monarchiam ſive Hierarchiam illam Papalem conſentaneam eſſe, cum nullae nec ex rationis nec ex revelationis lumine hoc aſſerentes produci poſſint rationes. Mihi perſuadere non poſſum, quod & tantorum nominum viri, qui an. 1682. ex Clero gallicano convenerant, veritatem tam maſcule defenſam, in litteris ad Papam, juſſu regio datis, teſte RYENCVRTIO in *hiſtoria Ludovici XIV. parte II. pag.* 271. *ad annum* 1693. revocare voluerint. Huic enim autori non eſt inconſuetum, falſa pro veris venditare.

§. III.

Quomodocunque autem id ſe habeat, optandum fuiſſet, Praeſules Gallicanos iniquitatem ſupremi juris circa ſacra a Pontifice uſurpati agnoviſſe. Scio quidem, in Gallia receptam eſſe ſententiam, Pontificem ſubeſſe concilio univerſali, & appellationes ad Curiam romanam inter abuſus referri; Immo ex Sorbona cenſuram ſacrae facultatis Theologicae Pariſienſis anno 1683. prodiiſſe, in qua propoſitio: *ad ſolam ſedem apoſtolicam divino immutabili privilegio ſpectat, de controverſiis fidei judicare*, ut error, praxi Eccleſiae adverſans, & verbo DEI repugnans, damnata eſt: attamen veritatis confeſſorum magis promeriti eſſent laudes, ſi non aliquid adulationi dediſſent, & Apoſtolicae ſedi, ut loquuntur, ac Petri ſucceſſoribus, Chriſti vicariis, rerum ſpiritualium plenam ceteroquin poteſtatem tribuiſſent; atque in fidei quaeſtionibus praecipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejusque decreta ad omnes & ſingulas eccleſias pertinere, ſtatuiſſent. Quanquam negari non poſſit, ab iis, Apoſtolicae poteſtatis uſum moderandum eſſe, per canones ſpiritu DEI conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, additum eſſe. Quam vellem, vt anteceſſorum ſuorum, in conventu Burdigallenſi anno 1438. coeuntium, ſubſcripſiſſent ſententiae. Vulgaria

ſunt & multoties a noſtris proſtrata, quae autor libri *enormità inaudite p. 43. ſqq.* pro ſpirituali Pontificis monarchia profert, ut & quae in LAVRENTII A DRIPT *anti decalogo Theologico politico* art 5. propoſ. III. p. 141, ſqq. reperiuntur. Conf. SALMASIVS *de primatu Papae.* In hoc viro, quod obiter dixerim, maxime deſiderandum videtur, quod in ſcientia & locis, ex veteribus conſarcinandis, modum tenere neſciverit. Nec melioris notae ſunt, quae auctor tractatus: de libertatibus eccleſiae Gallicanae, urget. Etenim illud: *paſce oves meas*, Petro aliisque Apoſtolis à Servatore injunctum, non imperium, ſed miniſterium denotat, & Petri confeſſio, quod Ieſus Chriſtus ſit DEI filius, non Petrus, eſt fundamentum eccleſiae. Vide plura apud OTTIVM *in examine annal. Baronii cent.1.p.26.27.34.44.* Ab eruditiſſimis eccleſiae noſtrae viris ſatis ſuperque demonſtratum eſt, ſucceſſionem Papalem dubiam admodum eſſe & mancam. Bernhardi, nec non aliorum patrum eccleſiae verba non probant, ſed illuſtrant, & ſi fundamentum illis in revelatione & ratione deeſt, nullam habent auctoritatem. Erant enim homines a Spiritu Sancto non inflati, et ſic aeque erroribus & ſeculi vitiis obnoxii, ac nos. Bernhardus in verbis ad Eugenium III. quae anonymus LEODIENSIS *lib. VI. cap. III.* §. *VI. p.*321. refert, ex hypotheſi ſedis Romanae, non autem ex proprii animi ſententia protulit. Quod ſequentia ſatis manifeſtum reddunt. *Sic factitando probatis, vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiae forte non ita. Facitis hoc, quia poteſtis, ſed utrum hoc debeatis, quaeſtio eſt.* Enimvero illo tempore jam tum Pontificis autoritas & imperandi libido ultra modum creverat. Ni temporis & propoſiti obſtaret ratio, quae autor tractatus de libert. Eccleſiae Gallicanae, pro Papae autoritate tam in ſecularibus, quam in Spiritualibus adfert, excutienda nobis ſumeremus.

§. IV.

Cum itaque Principi ſummum circa ſacra jus, tam ex rei

rei ipſius natura, quam ſacrae ſcripturae ductu conveniat; neſcio, qua fide & conſcientia Papa Paulus III. Henricum VIII. & Pius V. Eliſabetham una cum Eduardo VI. egregios ſummi circa ſacra juris vindices, quod ſe Caput eccleſiae Anglicanae & DEI vicarios, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, vocarunt, ſeſeque pro talibus a ſuis haberi injunxerunt, damnare, & in illos excommunicationis & damnationis Bullas, quibus ſubditi ab obſequio ſolvuntur, emittere potuerint. Vide Bullam excommunicationis Henrici VIII. a Paulo III. in *Bullario Rom. T. I. pag.* 704. & Bullam Pii V. qua Eliſabetha damnatur, & excommunicatur *T.* 2. *ejusdem Bullarii p.*303. Nam talem poteſtatem Pontifex Romanus, nec a natura, nec a lege divina, nec a conventione habet. Neque Papae auſibus nexus fiduciarius, quo ſub Johanne regnum Angliae ſedi Papali obnoxium fuiſſe, dicunt, praetextui eſſe potuit. Nam vinculum illud Johanni, contra jus fasque extortum juribusque regni, contra quae Rex ſe obligare non potuit, adverſans, jam diu exoleverat. Porro nexus vaſalliticus, jura potentatus ſive ſupremae poteſtatis civilis in territorio, tam circa ſacra, quam profana non imminuit. GROTIVS *de jur. belli et pac. lib. I. capit.* 3. §. 23. Conducit, circa Anglorum ſolertiam, qua ſe a jugo Praeſulis externi tutos conſervarunt, aut deinde poſtliminio quaſi liberarunt, quaedam addere. chriſtianae Religioni inter Saxones, Britanniae dominantes, propagandae Gregorius Pontifex Romanus Auguſtinum monachum adhibere, eique hunc in finem Epiſcopi, immo Archiepiſcopi dignitatem cum pallio conferre conſtituit. BEDA *in hiſtoria eccleſiaſtica gentis Anglorum lib.* 1. *c.* 28. 29. 74. Sunt, qui putant Auguſtinum Archiepiſcopi titulo non eſſe gaviſum, quoniam ſit poſterioris aetatis inventum, Bedamque ex more temporis illius, quo vivebat, locutum eſſe. *Vide repertorium canonicum* JOHANNIS GODOLPHINI p. 3. Sed quomodocunque demum haec res ſeſe habeat, certum

certum tamen eſt, Auguſtino a Papa commiſſum fuiſſe, ut per loca ſingula XII. Epiſcopos ordinaret, qui ejus ſubjacerent ditioni, Londinenſis tamen civitatis Epiſcopus ſemper inpoſterum a propria ſynodo deberet conſecrari, atque honoris pallium a ſede Romana percipere. Quin immo USSERIVS ARCHIEPISCOPVS ARMACHANVS, *in primord. pag.* 97. tradit, inter veteres Britannos, Chriſto nomen dantes, ante adventum Saxonum fuiſſe Archiepiscopos. Ex annalibus conſtat, Eccleſiam Anglicanam a Romana res ſuas ſeorſim habuiſſe, nec ſub Patriarchatu Romani Praeſulis fuiſſe. USSERIVS *de antiq. libertat. Eccleſ. Britænnicae T.* 2. *p.* 120. *ſeqq. Hiſtorical and Political diſcourſe of the laws & governement of England. chap.* 2. *p.* 2. Cumque Britannorum Epiſcopi, qui ſub proprio erant Archiepiſcopo, perciperent, Auguſtinum animo volvere, Praeſulis Romani autoritatem Chriſtianis, in Britannorum ſolo degentibus, obtrudere, ſe Saxonum eccleſiis, quae ſub Auguſtini erant directione, jungere reformidarunt. Quamvis enim titulo univerſalis Epiſcopi non ita ſuccenſerent, poteſtatem tamen talem, qualem jam tum Praeſul affectabat Romanus, averſabantur. *Hiſtorical and Political diſcours chap. V. p.* 12. 13. libertatemque ſuam ab hoc tempore Britannicæ eccleſiae a Pontificis Romani invaſionibus adhuc quingentos annos tuitae ſunt. Quod autem ad *Anglo Saxones* attinet, quamcunque etiam Auguſtinus adhiberet diligentiam, ut illos Epiſcopo Romano addiceret, omnia tamen ex voto procedere nolebant. De regimine eccleſiarum Saxonicarum in ſolo Britannico *vid. lib. citat. cap.* 6. 7. *ſeqq.* ROBERT MOCKET *de politia Eccleſiae Anglicanae.* De hujus libri fatis confer *the Engliſch Hiſtorical library by* WILLIAM NICOLSON p. 3. ch. 6. p. 192.

§. V.

Sub Danis Pontificis auctoritas videtur in Anglia majora ſumſiſſe incrementa. Canutus enim Magnus impenſe ſedi Roma-

Romanae favebat. Neque ab illorum, qui Eduardi Confessoris, Ethelredi & Emmae filii, nimium, quo Clero deditus erat, ſtudium, plus juſto Pontifici indulſiſſe, aſſerunt, penitus abhorreo ſententia. Wilhelmus Normannorum in Anglia primus Rex Eduardi a principio veſtigia legebat. Papae enim, qui de controverſia, quae inter illum & Haraldum de Angliae regno ventilabatur, conſultus, pro Wilhelmo reſpondit, gratias debebat. MALMESBVRIENSIS *lib.* 2. *pag.* 100. MATH. PARISIENSIS *proleg. pag.* 4. Poſtmodum vero cum ſceptra adeptus eſſet, magis de Eccleſiae Anglicanae libertate, ſuisque circa eam juribus ſolicitus fuisſe videtur. *Hiſtorical and Political Diſcourſe.* 47. *pag.* 77. Henricus II. jus Regum in ſacris, quod Stephani negligentia & ex temporis rationibus, quibus ille adſtrictus erat, deliquium pati coeperat, in integrum reſtituere & adverſus uſurpatores & Pontificis aſſeclas, maſcule tueri anniſus eſt; promulgatis hunc in finem conſtitutionibus, quibus Archiepiscopi & Epiſcopi, tanquam coronae juribus & conſuetudinibus avitis ſubſcribere debebant. *Hiſtorical and Political diſcourſe &c. chap.* 59. *pag.* 110. *ſeqq.* Johannes & Henricus III. Pontificis inſultibus propemodum oppreſſi, eum, qui requirebatur, Epiſcopi Romani auſibus, ob turbidum reipubl. ſtatum, opponere non valuerunt vigorem, de quo conſulendus eſt MATH. PARISIENSIS *in Hiſtoria Angliae.* Richardus II. licet avi patrisque virtutes & bellicam laudem non aequaret, in eo tamen laudandus, quod, pro Imperii Anglorum circa ſacra juribus, ſtatuta condere voluerit. *Traité hiſtorique ſur le ſujet de l' excommunication & de la depoſition des Rois pag.* 5. *ſeqq.*

§. VI.

Sub primordiis domus Lancaſtriae Hierarchiam eccleſiaſticam ſub externo Praeſide, cui gravem movere ſtomachum, Henricus IV. rebus ſuis non putabat conſultum, augmenta

denuo esse addita videntur. *Discourse of the Laws &c. part. 2. chap. 17. pag.* 86. Henricus V. quanquam Pontificis machinationibus obviam iret, Clero tamen, ut eum, ex voto Laicorum, bonis superfluis exueret, molestus esse noluit. Henrici VI. regimen turbamentis obnoxium, & Eboracensis domus ausibus infestum gliscenti in Anglia Pontificiae autoritati suppetias tulit, quam Henricus VII. imminuere, aut prorsus destruere, animum induxerat. *Tum quoque*, ait BACO de VERVLAMIO *in Historia Henrici VII. p.* 117. *Rex coepit non minus prudenter, quam juste clericis privilegia nonnihil amputare, facta ordinatione: ut clerici, capitalis criminis convicti, candente ferro in manu signarentur.* Hoc salutare quidem Regis constitutum Perkinus criminari ausus est, sed quis iniquas ejusmodi curaret vociferationes. Nihilominus circa autoritatis pontificiae abrogationem caute, pro prudentia sua, incedebat. Hinc legem de successione in regno conditam bulla papali muniri procuravit. Sciebat enim, multos esse, qui sibi parum faverent, si non tam Elisabethae conjugis nomine, quam jure proprio se regno potitum esse, aliquo tantum modo profiteretur. Igitur id, quod placuit, ad tempus sub sacra Pontificis umbra magis tutum esse voluit, usque dum juri suo validiores fixisset radices. Sub Henrico VIII. demum, quod pater ejus moliebatur, plenius in effectum deductum. *Burnet de la reformation d' Angleterre Tom. I. lib. 2. pag.* 266. 289. 297. 717. *seqq. abridgement of the Ecclesiastical Laws of England by Godolphin chap.* 1. *pag.* 2. 3. Hic occasione divortii, cum Catharina conjuge ineundi, ecclesiastico Pontificis potentatui, repudium misit, seque supremum Ecclesiae Anglicanae Caput dixit, appellationesque ad Curiam Romanam severissime subditis suis interdixit, atque ab eis, ut se pro summo tam in secularibus, quam spiritualibus haberent Capite, ex sententia

Parla-

Parlamenti, juramentum ſumpſit *loc. cit. p.* 27. SPEEDS *reign. of King Henr. VIII.* GODWINI *annales rerum Anglicarum, Henrico VIII. Eduardo & Maria regnantibus geſtarum.* BVRNET *hiſtoire de la reformation d' Angleterre Tom.* 1. *liv.* 2. *p.* 319. Conſtat quidem, Regem in monaſteriorum nimiam quantitatem & abuſus inquiſiviſſe, eorumque magnum, ejectis monachis monialibusque, ſuſtuliſſe numerum: ſed videtur Cromvelli, cui viſitatoris & inquiſitoris ſparta erat commiſſa, artibus, qvi gloriabatur, ex inutilium monaſteriorum reditibus tantum aeris conglomerari poſſe, ut exercitus, ad recuperanda, quae in Gallia amiſſa erant, ſufficiens conſcribi poſſet, ultra modum conniviſſe. WILL. DVGDALE *Hiſtory, of Warwickſchire fol.* 210. TWYSDEN *lif of Henry* 8. published by LORD HERBERT *pag.* 173. COKS *inſtit. p.* 4. *p.* 44. HOWES VPON STOW p. 508. HEYLINS *Hiſtory of reformation pag.* 17. *ſeqq. Hiſtorical. collections concerning the changes of religion p.* 51. *ſqq.* Sed hic autor nimium Catholicorum Romanorum, quorum caſtra ſecutus, partibus favet. Dolendum ſane, per monaſteriorum abolitionem multa veteris aevi monumenta deperdita eſſe, multasque, quod aliqui addunt, perſonas pias, quae mundo valedixerant, exilio & aerumnis obiectas fuiſſe. Atque haec graviorem forte, ſecundum illos, promererentur cenſuram; niſi multa monaſteriorum bona, in collegiorum, ubi literis operam navantes aluntur, uſum deſtinata eſſent. Vide *the preface of a ſhort Hiſtor. of the religious Houſes in England and Wales.* Perdidit itaque Henricus VIII. favorem aulae Romanae, quo antea abundabat; liber enim, qui ab eo, aut ſub ejus nomine ſaltem, Luthero fuit oppoſitus, cum a Johanne Clark Decano Vindſorienſi in conſpectum Papae & Cardinalium in Conſiſtorio congregatorum ferretur, exclamatum eſt: *Librum eſſe auro cedroque dignum, S. Auguſtini & Hieronymi operibus non inferiorem;* Regique titulus *Defenſoris fidei* eſt impertitus. Cumque Tho-

mas Hannibal in Angliam, ut Regi pro data in oppugnandis Romanae ecclesiae hostibus opera, gratias persolveret, Clementis VII. nomine Regi auream obtulit rosam; cum Julio II. antea animus fuerit, Christianissimi titulum Galliae Regi ademptum, ex Lateranensis Concilii placito, Henrico VIII. attribuendi. BVRNET *Histoire de la reform. d' Angleterre tom. I. p.* 47. *History of the lord* HERBERT *of* CHERBVRY *p.* 104. *History of* RICH. BAKER *p.* 391. 376. Purior quidem doctrina sub Henrico VIII. non aeque magna sumpsit incrementa, cum graviter in ejus confessores nonnunquam saevitum sit. Sub Eduardo autem VI. Henrici filio, publica lege, normae divinae convenientiora, quibus seipsum Rex addicebat, doceri coeperunt BVRNET *Histoire de la reformation d' Angleterre pag.* 2. *liv. pag.* 19. *seqq. The life ond reign of king Eduard the sixt by* JO. HAYWARD. p. 104. seqq. Tametsi deinceps sub Maria status Ecclesiae in Anglia aliquo modo fuerit mutatus, cum illa Romanam amplexa esset fidei formulam; HEYLINS *History of reformation pag.* 9. *seqq. Historical collections concerning the changes of religion pag.* 147. *seqq.* attamen autoritas Papae penitus restituta non videtur, quanquam Maria non raro Philippi II. mariti studiis, quibus ferebatur in sedem Romanam, aliquid dedisse videatur; quo sibi eo magis amorem illius, qui ab illa, propter provectiorem aetatem, aliquantulum abhorrere videbatur, conciliaret. BVRNET. *l. c. part.* 2. *liv.* 2. *pag.* 576. *seqq.* FOX's *acts and monuments p.* 704. HEYLIN *p.* 20. *seqq.* 56. *seqq. Historical and political discourse. &c. p* 2. *c.* 35. Sub Elisabetha revocatum purioris religionis publicum & intemeratum exercitium, Pontificisque auctoritas demum exulare coepit, multaque pro libertate Ecclesiae Anglicanae sustinenda, facta sunt statuta. *Abridgement of Ecclesiastical Laws chap. I. p.* 3. *Historical and political discourse &c. part.* 2. *p.* 159. *The beginniug of the reign of Quee-*

ne

ne Elisabeth by Hayward. p. 480. *seqq.* Dubium saltem in eo erat, an foemina Ecclesiae Caput vocari posset. *Abridgement p.* 10. *Historical collections p.* 224. Regina autem, ut calumniantium sugillationes compesceret, edito scripto declarat, se sibi nihil aliud tribuere, quam quod ad imperialem Angliae coronam jam olim jure spectavit, scilicet se, sub Deo, *summam, & supremam gubernationem & potestatem in omnes Regni Anglicani Ordines, sive illi sint Ecclesiastici sive Laici, habere, quodque nulla extranea potestas ullam in eos jurisdictionem vel auctoritatem habeat, aut habere debeat*: talisque autoritas ipsi per Parlamentum est confirmata Camdenus *in vita Elisabethae parte I. pagina* 26. *Heylin. pag.* 108. *seqq.*

§. VII.

Veniendum jam est ad Jacobum I. qui videtur quidem sub initium regiminis, circa religionis negotium aliquantulum indulgentior fuisse; postquam vero Jesuitarum Garneti & Oldcornii, cum eorum asseclis pulverariam proditionem, singulari tamen Dei beneficio in vanum, machinantium furores detecti sunt, majori cura, ne respublica Anglicana nefariis ejusmodi ausibus pessumdaretur, allaborare coepit. Quamobrem ejus & Parlamenti studiis juramenti formula, in quam omnes Anglico imperio obnoxii adigerentur, composita, cujus summa haec est: *agnoscere se Jacobum Regem legitimum & verum, papam non habere autoritatem Regem abdicandi, aut Regno vel parte Regni multandi, vel ullum subditum Regis exonerandi obedientia & subjectione, aut ad arma adversus Regem concitandi: jurare ex animo, se non obstante qualibet declaratione papali, aut sententia excommunicationis vel exauctorationis contra Regem aut ejus heredes, fore fideles & obsequentes regiae Majestati, ejusque successoribus eorumque vitam & coronam pro virili defensuros. Quin & patefacturos proditiones & conspirationes adversus Regem & Regis domum, quascunque resciverint, detestari se ut haereticam & abominan-*

ominandam illam propositionem, quae asserit, Principes excommunicatos posse a suis subditis aut ab aliis quibuscunque exui regno aut occidi; se renunciare omnibus indulgentiis & dispensationibus, quibus vel Papa vel alius quispiam volet eos ab hoc juramento aut parte juramenti dispensare. Haec a se jurari sincere, & uti sonant verba, absque ulla aequivocatione vel mentali evasione. Vide PETRVM MOLINEVM *de monarchia temporali Pontificis Romani cap. I. pag. 5.* Quam juste etiam haec facta sint, ut subditi in fide erga Principem suum conservarentur. ANT. ASCHAM *of the confusions andrevolutions of governements Chap. III. pag. 50. seqq. chap. 13. p. 136. seqq.* nihilominus Praesul Romanus hoc iniquo tulit animo, & confestim litteras, quas vocant Apostolicas, anno 1606. in Angliam misit, quibus pronunciat, juramentum illud salva fide catholica & salute animarum praestari non posse. MOLINEVS *loc. citat. pag. 6.* Et cum experiretur, eas, a quamplurimis in dubium vocari, alias subinde eo misit, ejurationem juramenti ante dicti severissime inculcantes, quibus Cardinalis Bellarmini codicilli ad Georgium Blackfellum Angliae Archipresbyterum, in eundem finem tendentes, additi sunt. Papales litteras Jacobus I. Apologia pro juramento fidelitatis conscripta, omisso tamen suo nomine, confutavit, eaque deinde secundum librum, in quo auctor non est dissimulatus, tanquam praefatione, auctiorem reddidit. Adversus Regem in arenam descendit Cuffetellus, cujus in emendanda lingua Gallica, labori fortuna magis adspiravit. MOLINEVS *l. c. cap. 2.* Deinde in scenam infelici quoque sidere prodiit Cardinalis Bellarminus, quem doctus quidam ex clero Anglicano male mulctavit. Hujus liber, quem Barclajo, ut Papae summam in temporalibus vindicaret potestatem, opposuit, jam tum ante 26. Novembris a Parlamento Parisiensi damnatus fuit. Illustrissimum collegium in enunciato suo haec adhibuit

buit verba: *Bellarmini librum in Barclajum continere falsam & detestandam propositionem, tendentem ad eversionem summarum potestatum, a Deo stabilitarum in surrectionem subditorum in suos Principes, subtractionem ab eorum obedientia, instigationem ad audendum in eorum caput, ideoque cautum, ne Doctores, Professores aut alii quicunque supradictam propositionem illo pacto doceant, necnon interdictum omnibus librariis & typographis excudere aut distrahere supradictum librum, sub paena criminis Majestatis*, MOLINEVS *l. c. pag.* 21. 22. *Histoire du regne de Lovis XIII. par le* VASSOR *liv. I. pag.* 86. *seqq.* Nescio, an veritati sit consentaneum, quod GRAMONDVS *Historiarum Galliae lib. I. pag.* 10. tradit: Intercedentem Romanae Sedis Nuncium a Rege obtinuisse, in suspenso haberi sententiam. Promeritus profecto fuisset hic libellus eandem cum Marianae perversis de Regis institutione foliis, Vulcano, cui merito debebantur, dicatis, sortem; nisi plerumque ejusmodi scripta ex ultricibus flammis novam sumerent lucem. Rectius, mihi videtur Rex Jacobus, rebus suis consuluisse, si a scriptura abstinuisset. Ad mores enim nostri seculi parum quadrat, Principes nomina sua inter scriptores profiteri Ante omnia autem ipsis dissuadendum, ne controversiarum pertractationi se immisceant; imparis enim sunt conditionis, cum quibus litigatur, atque ita sive vincant, sive vincantur, inglorium tamen semper relaturi sunt laborem. Nescio an haec Tassoni lib. 7. c. 4. omnem regibus debitam prae se ferant reverentiam: *e stato shernito & beffegiato, per haver voluto comporre libri, & fare del letterato.* Difficile sane est, a literario certamine se temperare, si quis se rerum, super quibus controversiae moventur, parem esse putet: Jacobum autem doctissimum, immo ut aliquibus videtur, magis quam Principem decet, fuisse, nemo facile in dubium vocabit. *Ruschwoth's Historical collections volume the first p.* 100. *seqq.* Certum est non defuisse, qui, Jacobo extincto, ultra id, quod fas erat, mores

res ejus censurae subjicere, ausi sint. *The History of the rebellion ond civil waars in England by Edward Earl of Clarendon vol. 1. part. I. p. 24.* Plerique indigne admodum ferebant, quod genero Palatino, Hispanorum blanditiis inescatus, debita non prestiterit auxilia. Veniunt mihi hic in mentem, quae TACITUS de die funeris Augusti lib. 1. ann. c. 9. & 10. tradit,

CAPUT IV.

DE POTESTATE PRINCIPIS SAEPE LIMITATA IN ILLOS, QUI DOMINANTEM IN TERRITORIO FIDEI FORMULAM SEQUI NOLUNT ETC.

SUMMARIA.

1. *Qui juramentum subjectionis & obsequii praestare detrectant, republica ejici possunt.*
2. *Potest & Princeps illos eliminare, qui publicam in territorio assumptam religionem sequi nolunt, non autem in eos igne & ferro, aut ademptione bonorum grassari.*
3. *Hoc jus tamen saepe, per privilegium a Principe datum, aut conventionem est limitatum, ubi quaedam de edicto Nannetensi, & ejus sublatione memorantur.*
4. *An pro religionis defensione arma sumi possint?*
5. *In conscientias hominum non valet imperium.*
6. *An publicum religionis exercitium pacto partum subditis eripi possit?*

7. Gro-

7. *Grotii & Bossueti argumenta adversus jus corripiendi arma, si juri in religione quaesito nocetur, examinantur.*
8. *Dissertationis Heidelbergensis de beatitudine possidentium capita quaedam ponderantur.*
9. *Quae autor de decimis contra observantiam anni 1624. affirmat, sub examen vocantur.*
10. *Cuinam in territoriis Catholicorum, in caussis Evangelicorum matrimonialibus dispensandi, facultas debeatur.*
11. *De simultaneo religionis exercitio.*
12. *An Episcopi minus beati sint, quod eorum jurisdictio in territoriis Protestantium, per pacem religiosam, sit suspensa?*
13. *An limitatio, quae suspensae Episcoporum Catholicorum jurisdictioni in territoriis Protestantium adjecta est, etiam in civitatibus mixtis locum habeat?*

§. I.

SUmmo maxime e republica pelluntur jure, qui eam violant aut suam de obsequio fidem juramento Regi praestando corroborare detrectant; eo ipso enim satis indigitant, sibi animum esse, jussis regiis non obtemperandi, si forte illud non ex re sua esse putent. Multo magis hoc obtinet, si cum Principe quodam extraneo, nulla necessitate, sed similitudine saltim opinionum inducti, nexu quodam & foedere cohaerent. Cumque athei, nulla juramenti religione constringi possint, vix videntur in republica tolerandi esse; si verendum est, ne impiis suis dogmatibus, alios in detrimentum reipublicae inficiant. Idem de Judaeis forte dixeris, si verum est, quod aliqui rerum judaicarum peritiores de dogmatibus eorum occultis tradunt, penes ipsos quasi peccatum esse, juramentum christiano praestitum servare; quoniam hostes & injustos bonorum ad se spectantium possessores, ut criminantur, licere fallere. Illos vero, quibus religio est, a juramento abstine-

re, promiſſa autem injurata ſervare ſolent, huc ſpectare non exiſtimo, niſi principia obedientiae, magiſtratibus exhibendae, repugnantia foveant, ut fanatici, qui Anabaptiſtarum & Quackerorum nomine nobis venire ſolent, ex imperio Germanico, Sanctione pragmatica, Caput & omnia Imperii Membra obligante, proſcripti.

§. II.

Nec minus Principi circa publicam in territorio ſuo, ut ſupra docuimus, religionem ſtatuendi eſt facultas, & ſi qui ſint, qui privato ſacrorum exercitio, a publica religione alieno, quod indulgetur, nolunt eſſe contenti, non igne & ferro in illos eſt ſaeviendum; atrocitates enim ejusmodi nec ſacrae ſcripturae, nec praxi veterum Chriſtianorum convenire, ex ipſis catholicis non pauci, veritati magis, quam partium ſtudio addicti agnoverunt. PETRVS MATHAEVS in Hiſtoria HENRICI IV. *libro II. narratione* 1. *p.* 116. & GROTIVS *de J. B. & P. lib.* 2. *c. XX.* §. *XLVIII. n.* 2. Migrandi tamen ipſis eſt imponenda probat neceſſitas, ſi Princeps animadvertit, reipublicae mala imminere, ſi manſuri ſint, & hoc ad celebre illud jus reformandi, quod ex Principum ſuperioritate territoriali fluit, pertinet. Quod autem in legibus Imperatorum *l.* 11. 12. *C. de haereticis & manichaeis*, manichaeos capite damnandos eſſe, traditur, excuſari poſſe videtur, quoniam turbarum & variorum in republica motuum ſaepe auctores erant.

§. III.

Haec, quae jam dicta ſunt, nimirum, quod Principi circa publicum aut privatum religionis exercitium in territorio ſuo ſtatuendi poteſtas competat, exceptionem habet, ſi privilegio aut conventione aliud obtineat. Sic ordines Imperii ex juris reformandi praetextu, contra diſpoſitionem art. 5. §. 34. Inſtr. p. ſtatuere non poſſunt. Pacta enim jure naturali, quod

&

& Principes obligat, ſunt ſervanda, quamdiu ille, qui ex pacto jus habet, contra pactum non agit. Et privilegia, etiamſi ſint gratuita, absque cauſſa legitima & facto illorum, quibus data ſunt, revocari non poſſunt; habent enim rationem ſimplicis donationis; multo minus hoc in privilegiis, quae oneroſa vocantur, & ſub ſe etiam illa, quae ob benemerita indulgentur, complectuntur, fieri poteſt. Ex annalibus Gallorum abunde conſtat, Evangelicae religioni, quam reformatam cognominant, addictos Henrico IV. fide & virtute ſua, Gallica procuraſſe ſceptra. Celebre igitur illud edictum Nannetenſe 1598. in navatae operae praemium promulgatum eſt. Vide PETRVM MATHEVM *in Hiſtoria Henrici IV. libro* 2. *narratione* 1. §. 5. 6. 7. Conducit, ſummam hujus edicti verbis PEREFIXII *in hiſtoria Henrici Magni pag.* 286. exprimere: *Par cet Edit il leur accordoit toute liberté pour l' exercice de leur religion, meſme la faculté d' eſtre admis aux Charges, aux Hoſpitaux, aux Colleges, & d' avoir des Escoles en certains endroits, & des Preſches presque par tout; & pluſieurs autres choſes, dont ils ſont bien décheus depuis ce temps-là, à cauſe de leurs rebellions & de leurs diverſes entrepriſes.* Criminantur quidem Reformatorum inimici, quod ſeſe edicti Nannetenſis jure indignos reddiderint, quoniam peculiare ſyſtema, ad formam rerumpublicarum Helvetiae, in Gallia erigere animo voluerint, in Regem arma induerint, & cum hoſtibus patriae foedera inierint. *L' hiſtoire du Cardinal de* RICHELIEV *liv.* 2. *pag.* 67. 68. 69. Verum ficta eſſe, quae de animo Reformatorum Gallicorum, quod obſequium, quo Regi erant devincti, exuere voluerint, traduntur, VASSORIVS *in hihiſtoria Ludovici XIII.* paſſim docet. Arma autem aeque pro fide, quam pro vita ſumi poſſe, & ubi auxilia deſunt domeſtica in tam juſta cauſa, ad exteros confugi poſſe, multis argumentis tam ex ratione, quam revelatione non ita infirmis adſtruunt. Nihilominus hæc Ludovico XIII. vel poti-

us Cardinali Richelio prætextui fuerunt, ut Reformatos juribus per edictum Nannetense concessis privaret. *La vie du Cardinal de Richelieu Tom. I. lib. 1. & 2. pag. 85. & 222. & seqq.* eosque tali voluit esse loco, ut quandocunque luberet, plena religionis libertate, immo ipso privato religionis exercitio, quod maxime impium, privari possent; rebus enim illius conducebat, adhuc habere, quibus inimicis metum incutere posset. Id quod Richelius in suspenso esse voluit, in actum deinde deduxit Ludovicus XIV. vide *Medailles sur les principaux evenements du regne de Louis le grand p. 209. & seqq.* RIENCOURT *dans l'Histoire de Louis XIV. t. 2. pag.* 106. mediis ad inspirandam fidem non æque idoneis, aut plane ineptis. *Nouveau voyage d'Italie par* MISSON *Tom. 2. pag.* 40. Fateor, dulcia satis esse, quæ habentur in tractatu Cleri Gallicani Anno 1682. typis impresso, qui inscribitur *avertissement Pastoral*, sed minus solida, veritatique repugnantia media methodosque alliciendi Reformatos ad gremium Ecclesiae Romanae suppeditat. Unde non miramur, clerum ilium operam & oleum perdidisse, multaque reformatorum millia, omnibus propemodum derelictis solum vertere, quam impuriori religioni contra conscientiam nomen dare maluisse. Antequam ad alia me convertam, in argumenta illorum, qui dicunt, Principi a subditis, quando illos libero religionis exercitio, quo ex conventione, jure aut privilegio gaudent, privare vult, arma opponi non posse, inquirendum est.

§. IV.

Illis, qui cum Capite systematis subjecta Majestatis existentiae constituunt, & in suis territoriis suprema potestate civili, licet pactis aliquo modo restricta, gaudent, jus de religione in suis territoriis statuendi, in quantum libertas illa conventione non est limitata, competere, extra omne est dubium, & ex iis, quæ in antecedentibus dicta sunt, liquet.

liquet. Quodſi autem id habent juris, illud etiam adverſus iniquos aggreſſores defendere poſſunt. Jejuna profecto ſunt, quæ apud Hortlederum a nonnullis, quod Principes Germaniæ, puriora ſacra in territoriis ſuis foventes, manibus quaſi in ſinum poſitis, adverſariis colla praebere deberent, diſputantur. Hi rerum Germaniæ, & nexus inter Caput & membra parum periti quae in ſacris aut profanis Romanorum legibus, Monarchiam redolentibus, dicuntur, ad ſtatum Imperii Germanici minus recte applicuerunt; Haec autem eorum aſſerta à Viris accuratiori juris publici ſcientia imbutis affatim ſunt exploſa.

§. V.

Jam non niſi de duplici, quam movere ſolent, quaeſtione, erimus ſoliciti, quarum prima eſt: An illi, quibus ſacra obtruduntur, à ſua opinione aliena, ita, ut illis nec privatum religionis exercitium, ſuæ opinioni conſentaneum, ubi pacto aut privilegio publicum non habent, nec migrandi facultas conceditur, uti vitam naturalem, ita & ſpiritualem, ut loquuntur, defendere poſſint? Civilia ſemper in odio habui arma; Sed illi, qui affirmanti ſubſcribunt ſententiae, urgent, ſubditos cum Principe per pactum in ſocietate eſſe civili, quae ex parte ſuperioris protectionem potiſſimum, ex parte ſubditorum obſequium involvat; ſubditos vero non niſi ad poſſibilia, indifferentiae ſuae relicta, & ad finem ſocietatis conſequendum facientia, ſe obſtrinxiſſe obſequii capita. Jam autem hypothetice impoſſibile eſſe, ut alium de Deo rebusque divinis conceptum habeant illo tempore, ubi eum habent, cum facultas, medium cognoſcendi, aut objectum, quibus illo tempore utuntur, talem conceptum neceſſario producant. Porro credunt, id quod ſibi de rebus divinis viſum, voluntati Creatoris & veritati circa contemplativa congruere; agerentqoe contra conſcientiam, ſi ab eo, quod

verum putant, discederent. Neque jus alii dederunt, neque dare possunt conscientiis imperandi, cum vanum in illas sit humanum imperium; & si quis hic aliquid tentare auderet, vim eis inferret, quam leges divinæ & humanæ improbant. Atque sic talia non spectare ad indifferentia, quæ tantum subesse possunt imperio, ita ut actiones deinde imputativitatem, ut ajunt, habeant, docent. Neque nexui inter imperantes & parentes, ex quacunque etiam de Deo subditorum opinione, quamdiu animo plane recondita manet, & per nullum actum nec directe nec indirecte saluti reipublicae contrarium manifestatur, detrimentum exoriri potest; & omnis hic labor, aliam vi inculcare velle, est irritus. Nam sciri nequit, an sit assumpta hypothesis nostra, nec ne; cum præter Deum nullus sit cordium scrutator, homines circa sensa animi alterius tantum conjiciunt, & saepe minus recte; Neque fides dictis illorum, qui in aliquam ire debent opinionem, tuto adhiberi potest, quoniam non raro dicta hominum, ab eo, quod in animo habent, multum differunt. Quodsi vero Princeps a subditis, aut physice aut moraliter impossibile, quod obsequii promissi pars esse nequit, exigat, protectionem, quam sibi rempublicam ingredientes, aut in ea manentes tacite vel expresse stipulati sunt, eis denegare videtur. Protectio enim illa requirit, ut subditi sub Principe, in quantum hoc ex ejus pendet arbitrio, bene beateque vivant; Ast si hoc ex parte Principis negligitur, à pacto discessum creditur; pacta autem ejusmodi plerumque sunt naturae, ut, quae complectuntur, per modum conditionum & correlationum contineant. Caussa autem sublata, tollitur effectus, & deinde illi, qui vixerunt in statu civitatis, vivere dicuntur in statu libertatis. Sed si qui diversam suam ab usitata religione propalant opinionem, eamque per actus publicos manifestiorem reddere volunt; ille vero, cui Devs summum in republica arbitrium dedit, è re suae civitatis videt,

det, perniciosa repurgari sentina, iis discedendi concedat veniam, abitumque etiam omnibus salvis imperare potest, nisi sint quædam discedentium sarcinae, legibus aut moribus rationabilibus introductae. Nulla enim plane paena in illum animadverti potest, qui nescit, se contra legem agere, & ubi dubium saltem est, genuina, se ab ignorantia liberandi, media ab eo esse neglecta. Sed instas: audiat Mosen & Prophetas: verum quamvis illos audiat, ob facultatem tamen cognoscendi aut alia impedimenta saepe eam sibi de Mosis & Prophetarum eloquiis ideam formare non potest, ac tu habes, quidquid etiam impendat operae, ut tecum unam foveat sententiam. Gratiam DEI illuminatricem hic seponimus. Tu saepe saltem credis, & ille ratiocinatur; quanquam DEUM & ultra id, quod in ratione est, efficere posse, non in dubium vocet. Sicut enim penes rempublicam est, membrum aliquod, etiam invitum, dimittere; Ita & membrum sua sponte & pro lubitu, si è re sua esse putat, solum vertere & ex natura societatis discedere potest, nisi aliud sit in conventione aut moribus regionis, vel societas ad certum tempus inita; modo illud non dolose & intempestive fiat. GROTIUS *lib. II. c. 5. §. 24.* Homines enim in societatem civilem coiere, juris fruendi & communis utilitatis causa, quae etiam privata cujusque commoda, sed rationabilia involvere debet; non autem, ut fierent mancipia, qui omni mutandi voluntatem juri, quicquid etiam ipsis accidat, renuntiaverint. Quodsi vero utilitas aut juris fruitio, sub quibus tanqnam conditionibus reipublicae membra facta sunt, aperte eis denegantur, legitimam discedendi habent causam, licet etiam in pacto vel moribus esset, ut nemo à societate discedat; illud enim eo intelligendum, si ipsis præstantur, quæ sunt in societatis aut foederis legibus. Enimvero si mala nobis ab eis, cum quibus non ampilus in societate vivimus, ita ratiocinantur nonnulli, inferuntur, illi nobis in numero sunt hostium,

&

& ubi non adest Superior, qui commode adiri potest, quæ jus naturae suadet, adhiberi possunt. Sancta tamen nobis semper sit illa persona, quae Dei vices in terris gerit, etsi sub eius non amplius imperio simus; suadet enim hoc communis generis humani utilitas. Vident huc aliquo modo, spectare, quae de refutatione feudi in manus Domini in placitis feudorum. 2. *f.* 38. traduntur.

§. VI.

Verum si ex conventione aut privilegio, caetui competat opinionis suae de DEO rebusque divinis, per actus congruentes, exercitium; numne ille, si nihil contra leges societatis fecerit & Superior ipsum jubeat, aut dominantia sectari sacra, aut republica egredi, morem gerere imperatis debeat, ulterius quaeritur. Primum videbimus, an Princeps hoc juste, ob unam forte aut alteram caussam, facere queat; & deinde, si hoc injuste facit, an subditi jus suum quaesitum defendere queant? Quod Superior Romano Catholicae religioni non addictos contra datam fidem territorio pellere queat, a non paucis Pontificis asseclis asseritur, quoniam illud salus reipublicae, ut oganniunt, requirat. Verum salus reipublicae involvit omne illud, sine quibus respublica salva esse non potest, & id, quod efficit, ut respublica aut in totum aut pro parte salva esse nequeat, reipublicae saluti adversatur. Ast Evangelicorum fidei formula nullatenus efficit, ut respublica salva esse nequeat; Igitur etiam saluti reipublicae non adversatur. Provoco contrariam amplectentes opinionem, ut unicum saltim Evangelicorum dogma, reipublicae rationibus contrarium, in medium proferant. Et licet forte respublica, si una ubique obtineret fidei formula, beatior esset; obinde tamen, quae in pacto sunt, mutari non possunt. Potest enim quilibet juri suo renunciare, &, si ei per pactum aut alio modo renunciatum est, deinde illo amplius uti nequit, nec ad priorem

reverti

reverti licet libertatem, quamdiu alter contra illud, quod eſt in pacto, non agat. Ad ſtatum autem beatiorem reipublicae minus recte refertur, quod Princeps unius religionis ſocios ſuo ſubeſſe geſtiat imperio, ut eo ſecurius finitimis bellum inferre poſſit. Absque legitima enim cauſſa, gloriae ſaltem aut dominandi ſtudio bellum movere, non chriſtianum, immo nec humanum eſt. Porro dici poſſet, Succeſſores pactis non obſtringi: Verum, antequam diadema ſumunt, aut regimen ſuſcipiunt, ea, quae a Deceſſoribus data ſunt & promiſſa, confirmare ſolent; Immo etſi hoc non fieret, Succeſſor ut Caput reipublicae populi nomine, qui certo modo aeternus eſt, quae Deceſſor ex probabili cauſſa, quod in dubio ob regentium autoritatem praeſumitur, promiſit, ſervare obligatur, quia ille ſe non ſui, ſed populi nomine, cuius novus Princeps Caput fit, & ſic etiam in illud, quod populo, per praecedentem ſuum Principem conſtituere placuit, tacite conſentit, obſtrinxit. GROTIVS *de iure belli & pacis lib. II. cap. XIV.* Denique illud, Pragenſium Theologis in Conſtantienſi concilio tam exitioſum, *Haereticis non eſſe ſervandam fidem*, nonnulli crepant. Quam arduum ſit, veram haeretici definitionem conglutinare, Theologis notum eſt. Ponamus, haereticum eſſe, qui in fundamento fidei errat, id de iis, qui puriora ſequuntur ſacra, dici non poſſe, jam dudum a viris doctis demonſtratum, & ab ipſis Catholicis, Romanae aulae arcanis minus indulgentibus, agnitum eſt. Sed, miſſis his, jam tantum noſtrum erit, in veritatem aut potius falſitatem illius aſſerti inquirere. Notum eſt, IACOBVM SCHVLTES, *qui Lehmanno ſuppleto & continuato* p. 165. ſeqq. inſertus eſt, ſatis prolixe, thema illud falſum eſſe, adſeruiſſe. Nos aliis rationibus omiſſis, illud a veritate alienum eſſe, hoc modo adſtruemus: Pacta nihil iniqui aut turpis in ſe continentia, jure naturae ſunt ſervanda, hoc autem eſt immutabile; nec a DEO per abſolutam ſuam potentiam

 mutari

mutari poteſt, niſi ſeipſum quoque commutare velit, quod tamen conceptui eſſentiali, quem nobis de DEO formamus, repugnat. Quinimmo in ipſa ſcriptura ſacra, hujus ne quidem umbra in contrarium adparet. Quod ibi de haereticis vitandis dicitur, de familiari cum iis, ut ſupra monitum, converſatione eſt intelligendum; non autem DEVS voluit, ut zizania eradicaretur. Porro ibi de illis, quibus fides data, ut tolerentur, ſermo non eſt. Sed objici poteſt: Haereticus eſt hoſtis verae religionis, falſum autem hoſti eloqui, crimine vacat, et jus, quod illi ex promiſſo quaeſitum eſt, in poenam poteſt auferri. Verum quomodocunque demum haec ſeſe habeant, promiſſio per ſe novum jus confert, et ſi cum haeretico ut haeretico actum ſit, jus, quod ex conventione quaeſitum eſt, ipſi in poenam adimi nequit; eo ipſo enim, quod illi ut tali promiſſum eſt, ſi forte in ipſum ſtatui aliquid potuiſſet, juri huic eſt renunciatum, GROTIVS *de I. B. & P. lib. III. cap. XIX.* §. 2. 3. Poſtmodum opponitur ulterius: promiſſum illud metu eſt extortum, & ideo, licet non ſit nullum, ille tamen, qui metu cauſſam dedit promiſſo, tenetur liberare promiſſorem: verum quis crederet, debiliorem partem potentiori metum incutere poſſe. Deinde Galli liberum religionis exercitium & quidem publicum, libera regis Henrici IV. voluntate impetrarunt. Denique ſi juſta adeſt cauſſa metum inferendi, licet forte in modo agendi aliquando peccatum ſit, id quod geſtum eſt, ex capite metus non ſemper reſcindi poteſt; inprimis ſi juramentum acceſſerit. In bello ſolenni exceptionem metus, locum non habere, docet GROTIVS *de I.B. & P. lib. III. c. 19. §. XI.*; potiſſimum ſi fortuna ex ejus parte, penes quem juſtitia cauſſae eſt, ſtet, quoniam nulla aut pauciſſima tantum finiuntur bella, in quibus non unus ſuperior, qui pacis leges dat, & alter inferior, qui pacis leges accipit, ſit. Ne quidem ex dominio ſuper-

pereminente, si cum subditis negotium gestum est, jus, quod inde habent, iis eripi potest. Nam hoc modo omnes ejusmodi pactiones inanes essent, & subditi forte a Principe alienati, cum nullam sperare possent ex pacto salutem, antequam non essent ad incitas redacti, non ponerent arma, quod non nisi in summum rerumpublicarum detrimentum vergere posset. Immo etsi ponerent arma, cum se tantum precario rebus suis & juribus, usque dum aliter placuerit Superiori, frui scirent, nunquam hostilem exuerent animum, sed commodam saltem expectarent occasionem, ad bellum redeundi, essentque sic non tam cives, quam reipublicae hostes habendi. Denique notandum est, dominium supereminens dubiis non carere. vid. BÖCLERI *Dissertationem de Dominio eminente*, & ea, quae HORNIVS de *civitate libro II. cap.* 4. refellere annititur, illudque tantum, cum summa reipublicae necessitas efflagitet, cum compensatione tamen, locum habere, tradit. GROTIVS *de jure & belli pacis l. c.* §. 7.

§. VII.

Tandem perspiciendum, quid subditis, qui ex promisso jus publicorum sacrorum habent, si Superior ipsos eo privare, &, ut migrent, jubere decreverit, licitum sit. Ius illis, per vim agendi, GROTIVS *de jure summarum Potestatum circa sacra Capite III. v.* 6. & BOSSVETVS *dans le cinquieme avertissement aux protestans sur les lettres du ministre Jurieu* denegant. Horum argumenta, & quid iis reponi queat, afferemus, benevoli Lectoris arbitrio permittentes, quam amplecti velit sententiam. Quod Grotius de milite, qui sese centurioni castiganti opponit, profert, huc quadrare non videtur. Nam hoc ex severiori disciplina militari ortum trahens, multitudini cuidam, se ad tale obsequium non obstringenti, regula esse nequit. Porro obsequium illud militare,

ſtrictius ad ipſam rem militarem ſpectat, quæ citra illud propemodum eſſe nequit: aſt religionis unitas ad reipublicæ rationes non ita pertinet, ut ea citra illam ſalva eſſe nequeat. Florentes enim habemus reſpublicas, in quibus multarum religionum celebrantur ſacra. Nec minus obedientiam illam arctiorem miles tacite aut expreſſe promittere potuit: at contra cordis opinionem de DEO rebusque divinis ſtatuere, ex divino placito non licet, & exinde nemo etiam ad tale quid ſe pacto obligare poteſt. Denique ſi centurio militi pacto, e. g. ne verbere corrigeretur, modo jus paciſcendi habuiſſet, obſtrictus fuiſſet, haud dubie contra pactum agere non potuiſſet. Id, quod Math. XXVI, v. 52. reperitur, caſum noſtrum non tangit; Servator enim illi ſaltem, qui injuſte ferrum ſtringit, ferro pereundum eſſe, dicit, qui autem liberum religionis ſuae exercitium, cui ex pacto aut privilegio jus in illo territorio commorandi eſt annexum, defendit, injuſte ferrum non ſtringit. Quod autem Petrus ſummi Pontificis ſervo enſem intulerit, ipſumque aure mutilaverit, non ſolum voluntati Creatoris, ut lex impleretur, repugnabat; ſed & Petri factum cum prudentiae regulis, in tanta hoſtium multitudine, non ſatis coincidebat. Locus PAVLI XIII, Rom. v. 2. *qui reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit,* agit de reſiſtentia, quae fit Magiſtratui officium ſuum, malos puniendi, exercenti. Argumentum vero a mancipiis ad illos, qui jus aliquod ſingulare ex promiſſo quaeſitum habent, vacillat. Jus iſtud Regium, de quo Samuel tradit, non paucis ſubeſt controverſiis, & ad illos, qui ſibi de jure aliquo ſpeciali pacto proſpexerunt, aut illud privilegio nacti ſunt, non pertinet. Multominus juris Romani effatum: *Praetor jus reddit, etiam cum iniqua decernit,* huc trahi poteſt. Nam canon ille juridicus nihil aliud involvit, quam quod praeſumptio ſit pro Praetore ſive judice, & ſi pars per ſententiam

laeſa, tempore a legibus ſtatuto, ſilet, juri ſuo renunciaſſe creditur, atque tunc res judicata pro veritate accipitur. Quae ſane ad ſtatum controverſiae hujus, ubi de obligatione Principis ex pacto aut privilegio ſermo eſt, non ſpectant. Salvam autem & inviolabilem ubique eſſe debere Principis perſonam, ſupra docui, & haec poteſtas, jura ſua defendendi, ex promiſſo acquiſita, ultra modum ſerpere non debet.

Jam BOSSVETI ratiocinia, qui verborum elegantiam, non autem rationum robur JVRIEO oppoſuiſſe videtur, examinabimus. Manichaei & Donatiſtae ex pacto nullum in Imperio romano, ſua exercendi ſacra, jus habebant. Aliter autem ſe res habuit cum Bohemis, qui publica pertractandi ſacra, ſuae opinioni conformia, licet forte minus ſolemnia ab initio, Wenceslai primum indultu, deinde publicis regni ſanctionibus, obtinuerunt. AENEAS SYLVIVS *in Hiſt. Bohemica c.* 34. *apud* FREHERVM *pag.* 140. GOLDAST. *T. III. Conſtitutionum imperialium p.* 454. *Act. Bohemic. p.* I. REGENVOLSCII *hiſtoria Eccleſiarum Slavonicar. lib.*I.*cap.*5. *ſeqq.* In Albingenſium & Wiklevitarum animos vis exercebatur, nec diſcedendi injungebatur neceſſitas, ſed corpora, cum formulam Romanam profiteri nollent, igni aliisque cruciatibus & martyriis delenda dedicabantur. SPANHEMII *epitome Iſagogica ad hiſtoriam Eccleſiaſticam novi teſtamenti pag.* 668. BVRNET *hiſtoire de la reformation d' Angleterre Tom. I. pag.* 62. *ſeqq.* Quod Principes circa repurgandam religionem Germaniae moliti ſunt, illud ipſis ex jure territoriali, quo ab antiquo gaudent, competiit. *Inſtr. pac. artic.* 8. §. I. *Tractatus de jure Statuum Imper. reformandi*, LEHMANNI *acta publica de pace religionis p.* 368. *ſqq.* 379. *ſeqq.* Beatus Lutherus de forma Imperii Germanici, haud dubie ab initio, non ſatis inſtructus, priorem ſententiam, de non reſiſtendo religionis cauſſa, deinde mutavit, ut adparet ex

 iis,

iis, quae apud HORTLEDERUM reperiuntur. Nec illud Boſſuetus negare videtur. Et quae in tutamen libertatis conſcientiae & jurium fiunt, ſi vis infertur, nec diſcedendi facultas conceditur, aut ſi promiſſum adſit, publicum aut privatum ſaltem tribuens religionis exercitium, rebellionis nomen non promerentur. Eccleſia incudi comparatur, quae non dat, ſed recipit ictus, quando ſcilicet in tali eſt conditione, ut vires plane nullae ſint, quae valide conſcientiarum invaſoribus, & pactorum privilegiorumque violatoribus opponi queant. Martyria inſerviebant corroborandae fidei, non autem ad Chriſtianiſmum introducendum abſolute fuerunt neceſſaria. Et illi, qui martyrium ſubibant, in vanum reſtitiſſent, ſi ſuo fuiſſent uſi jure; exinde conſultius putarunt, mortem pati & fidem chriſtianam ſuo confirmare ſanguine, quam in ſe defendendis inutilem perdere operam, furoremque ſaevientium eo adhuc amplificare. Neque puto, JVRIEI rationem irriſione dignam, qua contendit, primos Chriſtianos, ex fervidiori Chriſtianiſmi zelo, ad ſupremum & non neceſſarium patientiae gradum aliquando adſpiraſſe, jurique ſuo renunciaſſe, quod, cum ſtabilimentum religionis Chriſtianae ejusque augmentum intenderent, in eis non reprehendendum, ſed potius laudandum videtur. Enimvero, licet expreſſe in ſacra ſcriptura non contineatur, Chriſtianos ad religionem defendendam arma corripere poſſe, eisque nihilominus liberum fore, in gloriam DEI huic juri renunciare: attamen per bonam conſequentiam & analogiam Scripturae hoc inde elici poteſt. Quo ſpectare videntur verba, quae adduxit JVRIEVS, recte facere illum, qui filiam ſuam in matrimonium collocat, melius, qui ei matrimonium non ſuadet. Nec juvant Boſſuetum dicta S. Scripturae: *date Caeſari, quae ſunt Caeſaris, & DEO, quae ſunt DEI*, ut &: *timete DEVM, & honorate Regem*. Nam ea, quae a Principe contra conſcientiam liber-

libertatem & fidem pactorum imperantur, ipsius non sunt, ergo, ut sibi praestentur, postulare nequit. Neque honor Regi debitus, ut jure, quod ex legibus aut conventionibus habeo, discedam, involvit. Porro praevidit quidem Servator noster, fore, ut sui ab iis, quibus Evangelium annunciarent, male multarentur, quoniam ei non placuit, mediis extraordinariis ipsis opem ferre: exinde tamen asseri nequit, illius voluntatem esse, ut persecutoribus instar ovium colla dare, suoque jure ex pacto aut privilegio quaesito privari se paterentur, ubi apta adsunt defensionis media. Enimvero, quæ jure naturae sunt justa; quando prudenter in actum deduci possunt, Christus non sustulit. Non autem ad arma est confugiendum, & ubi impares sunt vires, tunc potius patientia, quam vi est agendum. Nam se committere cum hoste, ubi nulla spes salutis in armis verisimilis esse possit, licet justa adsit caussa, idem esset, ac DEVM tentare, quoniam DEVS raro per miracula agit. Cum autem Christiani, viribus sufficientibus destituti, ipsis, qui vim inferebant, vitam permitterent, nullum inde in eos redundabat dedecus, cum nihil cruciatibus & morte dignum commisissent. Huc spectant, quae *I. Petr. IV. v.* 15. 16. 17. leguntur. Fatendum quidem est, veteres Christianos, qui sub jugo gentilium gemebant, & pro Imperatoribus preces fudisse; sed illud eum in finem faciebant, ut eo magis adversarii persuasi essent, se nihil nec contra illorum vitam, nec contra reipublicae salutem molituros. Etenim ex praecepto Servatoris & pro inimicis orandum est, ut convertantur, & abstineant a persecutionibus, quibus DEI filios affligunt. Et quanquam inficiari nolim, Apocalypseos autorem saltim de Martyribus & patientiae addictis gloriae insignibus redimitis testari; inde tamen colligi nequit, conscientiae libertatem & jus sacrorum, ubi commode fieri potest, defendentes impingere. Quod autem ad exemplum JESV

CHRI-

Christi attinet, illud huc trahi non poteſt, quoniam ille ad caſtigandos immorigeros, myriades Angelorum, ſi tanto eorum numero opus fuiſſet, advocare potuiſſet, niſi Scriptura impleri debuiſſet. Nec dicta Pauli & Petri, Chriſtianos in conſcientia eſſe obſtrictos, ut DEI juſſui obtemperent, ad obedientiam Magiſtratui praeſtandam, hic ſtringunt. Nam illi Chriſtianos exhortari volunt, iniquum eſſe, obſequium tantum ob illam rationem, quod Magiſtratus a vera religione alieni ſint, denegare velle. Neque neceſſum eſt, ut ad diſtinctionem inter conſilium & obligationem, quae ceteroquin damnari nequit, quidquid etiam ſibi in contrarium Boſſuetus perſuadeat, hic confugiatur. Boſſueto Tertulliani locus auxilio eſſe nequit, in eo enim nihil aliud dicitur, quam quod Chriſtianis ob aliam, quam habent religionem, ab obſequio, quod Magiſtratibus ſubditi debent, diſcedere ſit vetitum. Pauli dictum *Rom. XIII. v.* 5. in alium ſenſum ſine violentia accipi nequit, niſi in illum, quod juſtum ſit, & conſcientiae conveniens, etiamſi nullae in obnitentes ſtatuerentur poenae, ut Magiſtratui, legi divinae non adverſantia imperanti, obediatur: inde tamen non ſequitur, quod Magiſtratui pactorum fidem violanti, & inique imperanti reſiſti nequeat. Pergit Boſſuetus patientiam illam, quam exigit, exemplis illorum temporum, ubi major fuerit numerus Chriſtianorum, fulcire. Concedimus quidem ei, quod per miraculum quaſi Chriſtianorum multitudo in dies creverit, ut & quod Apologiarum ſcriptores non auſi fuerint, alia, quam vera referre: verum intuitu aliorum, qui a Chriſtianorum ſacris abhorrebant, pauci erant, militari diſciplina & prudentia, armisque, ut par eſt, non ſatis inſtructi, & legio una aut altera a tot achriſtianorum millibus facile telis obrui aut gladiis contundi potuiſſet. Igitur conſultius putarunt, poſitis armis, neci ſe permittere, quam ſibi majores cruciatus, inutiliter reſiſtendo, attrahere, furoremque perſecutorum inde

auge-

augere. In Conſtantino quidem res Chriſtianorum, aliam induerant faciem, exemplumque Principis multi imitati ſunt, aut imitari ſaltem ſimularunt. Multitudo tamen paganorum utique adhuc praevalebat, quae ſub Iuliano Apoſtata nova demum ſumſit incrementa, ita ut militibus, Chriſtianorum ſequentibus ſacra, numero omnino inferioribus disſuadendum fuiſſet, arma in aggreſſores torquere, ſi vim, ut a Chriſtianorum fide deſiſterent, Imperator adhibere conſtituiſſet. Deinde hic repetendum, quod ſupra monitum, Chriſtianos a jure, quod habebant, ſeſe defendendi in communem eccleſiae utilitatem, abſtinere potuiſſe. Delabitur jam Boſſuetus ad ea, quae ſub Imperatoribus Arianiſmi labe infectis acciderunt; ſed nego, ab orthodoxis illis temporibus, quae memorat, Arianos numero ſuperatos fuiſſe. AVGVSTINVS *Epiſtola* 48. *ad Vincentium* ait; *Tale tum fuit tempus, tanquam periret Eccleſia de orbe terrarum.* Cum hoc HIERONYMVS *in dialogo* coincidit: *Ingemuit*, inquiens, *orbis*, *&* *Arianum ſe factum eſſe, miratus.* Vide ARNOLD. *hiſtor. Eccleſ. P.*1. *lib.*4. *pag.* 184. & PAGI *Critic. Annal. Bar. p.* 125. *edit. Pariſ.* Nec parum Arianorum partes auxit, quod inſignium ſaepe ingeniorum Viri eas amplecterentur. Vide GVILIELMI CAVE *Chartophylaceum Eccleſiaſticum in Seculo Ariano.* Progreditur deinde illuſtris Antagoniſta ad Perſas & Hiſpanos. In Saporem chriſtianos, cum illos perſequeretur, & ad ſupplicium trahi juberet, arma non ſumpſiſſe, ut teſtatur SOZOMENVS *lib.* 2. *cap.* 8. *ſeqq.* non puto mirandum eſſe; Sciebant enim, ſe numero & adparatu militari gentilibus, a quibus ab omni fere parte obſidebantur, impares fore, & ſic ſatius eſſe, ut martyrorum elogia promererentur, quam ut vanam molirentur defenſionem. Porro dubium eſt, anne quaedam adfuerit ſuſpicionis cauſſa, Chriſtianos rebus ſuis conſultius putaſſe, Conſtantino Chriſtianam amplexo religionem, quam Sapori ſubeſſe, unde in illos, quos prodito-

res credebant, non autem ob religionem tam graviter esse saevitum. Nefas enim supra diximus, hostilia inferre Principi, qui nec vim conscientiis infert, nec contra pacta & privilegia agit, licet a nostra religione sit alienus, ejusque terras eandem nobiscum profitenti religionem prodere. Gothis in Hispania, dominantia Regis sacra sequi nolentibus, locus aliquo modo dabatur, ut se ad Romanos recipere possent. PAVLVS OROSIVS *lib.* 7. *cap.* 32. VASEVS *in Chron. Hispaniae apud* SCHOTTVM *in Hispan. illustr. T. I. pag.* 653. Nec ideo omnino conquerendi rationem habuisse videntur, quia non aeque constat, illis pacto aut privilegio liberum religionis exercitium, a dominantibus sacris alienum indultum fuisse, & sic nullum penes eos fuit jus, hostilia moliendi, eosque, ad quos confugerant, ad bellum Principi, sub quo antea erant, inferendum excitandi. Nec non saepe omittuntur aut dissimulantur, quae licite fieri possent. Quae de motibus ob religionem in Gallia sequuntur, examinare supersedemus, cum scopus noster jam sit, non nisi circa generalia versari. Igitur tantum superest, ut, quae Bossuetus adversus adfirmantium argumenta affert, brevissime contemplemur. Ex Servatoris dicto, cum adpropinquarent, qui, ut eum caperent, missi erant, ipsique tum duo offerrentur enses, *satis esse*, respondentis, non ita clare, jus sese defendendi, si conscientiis vis infertur, adparere fateor. Quod autem ad Maccabaeos attinet, fictitium est, quod illi saltem ex ea ratione arma adversus Syriae Reges induerint, quoniam per Prophetias edocti erant, se Palaestina non nisi duabus vicibus excedere debere, nempe sub Nebucadnezare, & altera vice post Christum cruci affixum. Enimvero, sive per Iudaeos totam gentem Israëliticam, sive tantum tribum Iudae intelligas, pluribus una vicibus ante Christi nativitatem sunt captivi abducti, quod & ex ipso sacro codice adparet. Nec a veritate abhorrere videtur, illos ideo ad arma provocasse, quod

quod veteri foedere durante, Iudaeis non licuerit, a terra illa, cui cultus in veteri foedere ſtatutus quaſi erat alligatus, ſua ſponte diſcedere. Hoc enim nullibi in libris ſacris memoriae proditum eſt. Igitur id, quod Autor ex hac hypotheſi colligit, itidem falſum eſt. Vera e contrario ratio, quod Judaei Maccabaeorum tempore arma induerint, erat, quod contra fidem datam, conceſſaque liberi religionis exercitii jura, illorum ſacra ſuis turbare, ipſisque religionem gentilium obtrudere vellent. Immo ex hiſtoria illorum temporum colligi poſſe videtur, quod adverſarii ne quidem migrandi facultatem, ſalvis eorum rebus, concedere voluerint, ſed eos, ut ſe cultui prohibito addicerent, cogere annisi ſint. Confer praeter libros Maccabaeor. IOSEPHVM *antiquitat. Iudaicarum lib.*12. Quod autem in exiliis Aſſyriaco, Ægyptiaco & Babylonico ad ſe defendendum armis non ſint uſi, ex eo venit, quia ex captivitate erant ſervorum numero, armis aut viribus ad reſiſtendum idoneis non inſtructi, conſcientiarumque libertate non ſemper tum temporis privati. Quae de Davide inter Boſſuetum & Jurieum controvertuntur, ad nos non ſpectant, qui jam tantum, quid ad liberum religionis exercitium pacto aut privilegio competens, aut ad libertatem conſcientiae defendendam liceat, conſideramus. Interim puto, & Davidi contra injuſtas oppreſſiones, licitam fuiſſe defenſionem, praeſertim cum jam tum in Regem ex ſpeciali DEI juſſu eſſet unctus, quanquam & Principis perſona ſemper ipſi fuerit ſancta. Nec reliqua, quae in Boſſueti libro ſunt, quaeſtionem, quam hactenus pertractavimus, proprie concernunt, & ſic ea ſub contemplationem non vocamus.

§. VIII.

Et in Germania quoque territoriali jure gaudentium poteſtas circa ſacra per annum decretorium 1624. in Inſtru-

mento pacis ſtabilitum, reſtricta eſt. Largus hic ſe offertconſiderationum, potiſſimum ad religionis gravamina, quibus Germania graviſſime affligitur, attinentium campus. Sed cum tantus eorum ſit numerus, ut commode intra Diſſertationis limites coërceri nequeant, alibi de iis ſine ira & ſtudio peragetur. Inprimis autem ſuadendum, ut inter diverſae religionis ſocios id, quod in *Inſtrumento Pacis articul.* 5. §. 35. & 50. praecipitur, tanquam ad reipublicae ſalutem maxime faciens, obſervetur. Etenim ex tolerantia externa, facilior ad internam erit aditus. Jam quaedam tantum beatitudinis poſſidentium, quae Heidelbergae 1722. comparuit, intuebimur capita. Non ſemper de nihilo eſſe, circa nomina & titulos occupari, docet PUFFENDORF *de jure naturae & gentium lib. I. cap. I.* §. 18. *ſicut enim quidam eorum ſtatui noſtro aliquid addunt, ita & alii viciſſim aliquid demunt. Hoc autem patienter ferre, idem eſt, ac aliquo modo juri ſuo renunciare.* Acatholicorum nomen, Proteſtantium juribus detrahere, illis haud ignotum eſſe poteſt, quibus, quid, formulam Romanam ſequentes hoc nomine denotare velint, conſtat. Quidni infelicis beatitudinis Autori placuiſſet, nomina, quae nobis in publicis Imperii conventionibus, & quidem optimo maximo jure tribuuntur, adhibere. Forte ille celeri nimis manu Inſtrumentum pacis pervolvens, Auguſtanae confeſſioni, utet Evangelicae religioni addictorum, quod articulo X. §. 16. occurrit, nomina non animadvertit: condonaremus ipſi errorem, modo malitia abeſſet. Eadem circa res laborat infelicitate, qua utitur circa nomina beatitudinis Scriptor. Putat, decimarum poſſeſſorem, qui jus ſuum a Parocho Evangelico habet, poſſeſſionis beatitudine non uti, quoniam Parochus jus, quod non habuit, in alterum transferre non potuit. Conjicio, adverſarium puriori religioni ſubſcribentes ſacerdotes, ex clericorum numero excludere velle, cum ipſos aeque ac laicos *ex placito concilii*

Late-

Lateranensis III. decimarum incapaces habeat; quando dicit: *cum jus decimarum illis non competit, non possunt etiam in emptorem transferre.* Forte majori verisimilitudine revocationem licitam ursisset ob subjectum incapax laici, in quod decimae essent translatae Verumenimvero penes Protestantes esse sacerdotium, Theologi nostri accurate satis demonstrarunt. Dubia enim valde sunt, quae de Petri & Episcoporum successoribus in romana ecclesia traduntur. Defectus Episcoporum, a quibus juxta canones ordinatio ministrorum ecclesiae fieri deberet, ministerii defectum non involvit. Ex dictamine enim S. Scripturae inter Episcopos & Presbyteros nullam esse differentiam, BLONDELLVS, quem CONRINGIVS *de pace civili inter Imperii ordines conservanda*, non male vocat: *omnis antiquitatis peritia plane admirandum in apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris*, probatum ivit: canones vero, in quantum cum Scriptura non coincidunt, nullam habent autoritatem. Vide late hoc argumentum pertractantem MELCHIOREM ZEIDLERVM in tractatu, quem inscribit: *Ecclesiarum Augustanae confessioni haud mutatae addictarum, & ministerii in illis veritas, adversus criminationes reiteratas Pontificiorum quorundam.* In adversarii ejus rationes, alio tempore inquiremus. Ineptum profecto est, quaerere, an ministri ecclesiae nostrae, mediate aut immediate a DEO vocati sint. Immediatam vocationem tantum crepant fanatici. Nostri ministri mediante populo, cujus vox est vox DEI, aut illo, in quem jus suum transtulit, & qui vices DEI in terra repraesentat, vocantur.

§. IX.

Sed veniamus jam ad decimas; scio equidem, in concilio Lateranensi, quod apud HARDVINVM *tom. VI. p. 2.* reperitur, statui: *laicos nonnisi cum animarum suarum periculo decimas detinere, easque saltem, quae ante illud jure feudi fuere acquisita,*

quisita, laicis indulgeri posse. GONZALEZ DE TELLEZ *ad lib. III. tit.* 30. *Decret. t.* 3. *p.* 613. 614. ZYPAEVS *respons. XI. de decimis p.* 82. Verum, an in praxi ad haec principia recurrendum sit, merito dubitatur. Vide ZYPAEVM *loc. cit.* ESPEN *in jure Eccl. univers. tit.* 33. *cap.* 4. §. 38. 39. *pag.* 805. BÖHMER *in jure Ecclesiastico lib. III. tit.* 30. §. 30. Et quid de effatis juris Canonici simus soliciti, cum ea, in quantum Instrumenti pacis tenori repugnant, nullam in Germania vim obligandi habeant. Inst. pac. art. 17. §. 3. Quod autem anni decretorii diei primi possessio & ad decimas aliosque reditus spectet, ex variis I. P. textibus perspicuum est, veluti ex art. V. §. 2. 46. 47. 48. Cumque ita parochi Evangelici possessio decimarum anni 1624. primo die legitima fuit, illam etiam legitime & cum effectu, ad alium transmittere potuit, modo, quae ad alienationem ejusmodi rerum requiruntur, observata sint. Ea, quae ex LYNCKERI *responso* 154. de quacunque possessione afferuntur, modo realis intelligatur, satis recte se habent LVNDORP. *act. publ. tom.* 6. *c.* 18. 45. AVTOR *meditationum ad Instrumentum pacis p.* 410. Verum in Instrumento pacis art. 5. §. 48. verbis: *Catholicorum Augustanae confessionis addicti Status Provinciales & subditi, qui anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, die Januarii*, ut ex art. 2. patescere videtur, limitatio additur: *nimirum in iis casibus, modo dictae* i. e. *Catholici Principis, jurisdictioni ecclesiasticae subsint, Augustanam Confessionem nullatenus concernunt, modo ipsis occasione processus nihil injungatur Augustanae confessioni vel conscientiae repugnans.* Consultius fuisset, hoc magis distincte ponere; variis enim litigiis verborum generalitas ansam praebuit. Interim tamen inde colligi potest, in omnibus casibus, ubi August. Confessio aliqua saltem ex parte, a Catholicorum placitis discedit, Ecclesiasticam Catholicorum jurisdictionem, licet a. 1624. in Evangelicos usurpata fuerit, non debere locum habere. *Autor medit. ad Instr. Pacis, verbis citatis*, ex pace religiosa, lucis aliquid foene-

foenerari poſſe, autumat, ubi art. 15. reperitur: Religion/ Glauben/ Kirchen/ Gebräuche/ Ordnungen und Ceremonien. Nec dubium videtur, quin ad cauſſas illas exceptas, matrimoniales & feſtorum diſpoſitiones ſpectent; quia in utroque Auguſtanae Confeſſioni addicti aliter, quam eſt in ſcitis Catholicorum, tradunt; immo omnia merito huc trahenda, quae conſcientiae Evangelicorum repugnare poſſunt, quod argumento eorum, quae de proceſſu ſequuntur, manifeſtum eſt. In iis autem, in quibus Evangelici ſubditi Principis ſui Catholici jurisdictioni non ſubſunt, in arbitros compromittere, aut Principis Evangelici cujusdam judicium per prorogationem, quam nec hodie in aliis cauſſis abrogatam nonnulli volunt, adire poſſe, videntur; cum Inſtrumentum pacis determinatum nullum, finiendi controverſias, circa caſus exceptos exorientes, ſuppeditaverit modum. Quod vero ad illas cauſſas, in quibus Catholicorum Principum jurisdictio fundata eſt, attinet, eae non ſecundum Catholicorum, ſed Evangelicorum placita dijudicanda ſunt; alias conſcientiis vis inferretur. Quid intuitu Statuum Catholicorum non eccleſiaſticorum, qui jurisdictionem eccleſiaſticam non habent, obtineat, vide apud *Aut. med. ad inſtr. pac. p. 714.*

§. X.

Sed quaeritur hic, quid locum habeat, ſi quis forte jus dispenſandi in matrimonialibus ad ea, quae a jurisdictione Catholicorum non ſunt exempta, referre vellet. Notum eſt, conſuetudine invaluiſſe, & in moderna eſſe diſciplina, ut ſi agatur de impedimentis dirimentibus, & de matrimonio cum tali impedimento contrahendo, regulariter ſoli Pontifici dispenſationem competere. Quod ſi vero de impedimentis ſaltem impedientibus ſermo ſit, Epiſcopos plerumque diſpenſare poſſe. ESPEN *in jure Eccleſ. univerſ. tit. XIV. cap. 1.* §. 10. Solet

autem

autem jus dispenſandi, quod ad Pontificem ſpectat, Ordinario, id eſt Epiſcopo aut ejus Officiali committi. *Concil. Trid. ſeſſ.22. c.5.* ESPEN. *l.c. c.2.* Quaeritur itaque, an ex hac hypotheſi diſpenſationes in cauſſis Evangelicorum, quae in terris Principum Catholicorum ſunt, ſi agatur de impedimento dirimente, etiam ad Papam ſpectent? Et puto, quod non: quoniam non Papae, ſed Statibus Catholicis, jurisdictio eccleſiaſtica, quam in ſubditos Proteſtantes anno 1624. habebant, confirmata eſt. Nec puto, Papam id juris, quod Catholicis Principibus ex peculiari ratione competit, quia jurisdictio eccleſiaſtica Evangelicis quoque Principibus in ſubditos Catholicos per pacem Weſtphalicam tribuebatur, ſi eam ſtatuto tempore habuerant, datum eſt, ſibi arrogare poſſe. Ille enim in eos, qui ab ipſo ob juſtas cauſas alienati ſunt, jurisdictionem ſibi attribuere nequit. Ita & exiſtimo, Principes Catholicos ſeculares, jurisdictionem eccleſiaſticam, prout per Inſtrumentum pacis limitata eſt, in ſubditos ſuos Proteſtantes, vi ſuperioritatis territorialis exercere poſſe, modo tempore in Inſtrumento Pacis determinato Catholici hoc jus exercuerint. Neſcio enim, quid impediret, quominus hunc in finem Conſiſtoria erigerent, quibus viri, rerum, quae apud Proteſtantes obtinent, periti addi deberent; ſi Princeps conſultum putaret, eas ab aliis cauſſis, quae in Dicaſteriis ordinariis ventilantur, ſeparare. In Bavaria judicium eccleſiaſticum ab Electore dependens eſſe, conſtat. Hujus conſtitutioni graviter ſeſe oppoſuiſſe Epiſcopum Friſingenſem, ſibi per Bavariam ſacrorum curam competere contendentem, ex ZECHII *Heroldo Europaeo* refert HERTIVS *in Diſſertatione de ſuperioritate territoriali* §. *XI. in notis.* Quodſi hoc diſplicet, illis Epiſcopis, qui anno 1624. jus dioeceſanum habuerunt, hoc jus permittere poſſent, ita tamen, ut Papae nullae ibi eſſent partes. Neque enim mihi perſuaſum habeo, ſubditos Evangelicos coram judicio a Pontifice dependente comparere obligatos eſſe, aut tales cauſas Romam per appellationem trahi poſſe.

§. XI.

§. XI.

Contendit vibrante deinde ſupercilio beatitudinis poſſeſſoriae Autor ad quaeſtionem, hactenus in Imperio Germanico plus ſimplicivice a viris eruditis, de ſimultaneo religionis exercitio ventilatam. Vbi monere liceat, antequam ad ipſius argumenta pro ſimultaneo reſpondeamus, Inſtrumenti Pacis conditoribus potiſſimum ob oculos fuiſſe, ut quies in Imperio Germanico conſervaretur, & omnes motus ex religionis diverſitate profecturi, quantum fieri poſſet, evitarentur. Hunc ob finem placuit tandem, pro norma obſervantiam, exercitium, & poſſeſſionem anni 1624. admittere *art.* 5. §. 2. *Inſtr. Pac.* ita, ut quod illo tempore ad rem religionis attinens non exſtitit, nec exercitum fuit, deinde quoque non exiſtere aut exerceri debeat. Cumque igitur anno illo decretorio ſimultaneum Catholicorum religionis exercitium in Evangelicorum templis, ſub Principe Catholico, ſive in illis ſacra fierent, ſive non fierent, non duravit, etiam deinde in illa abſque violatione Pacis Weſtphalicae introduci non potuit, niſi illorum conſenſu, quibus hoc jus partum. *Inſtrument. Pac. artic.* 31. Idem dicendum de erectione novorum templorum in illis locis, ubi Catholici in anno decretorio nulla habuerunt. Non equidem ignoro, eſſe, quae ſimultaneo favere videntur; nimirum ad innoxiam utilitatem provocari poſſet, cum Proteſtantium templis, ſacris eorum finitis, nihil decederet, ſi & Catholico ritu ſacra ibi celebrarentur: verum innoxia utilitas alteri ſecundum juris naturae dictamina concedenda, dici nequit, ubi ex eo, quod alteri indulgeo, rebus meis periculum damnumque & animae meae perturbatio imminet. Jam vero experientia edocti ſumus, quot odia, lites, turbae motae ſint a diverſae religionis ſociis, qui in uno templo, licet ſucceſſive ſacrorum ſuorum exercitium habuerunt. Magis innoxium adhuc videri poſſet, templa, quae Evangelici in ſuos non adhibent uſus, Catholicis permittere, aut, ut nova ab eis

condantur, pati. Fateor, DECKHERVM *de pac. civili cap. 45. n. 7. p. 236.* cum Autore meditationum *ad Inſt. Pac. p. 562.* ex parte Catholicorum ſtare. Vterque ſe in ſuperioritate territoriali Principis fundat, putatque, inde obſervantiae anni 1624. non derogari: verum eos falli, ex ſequentibus patebit. Miror profecto, Deckherum tam inique ſtomachari in allegantes: *anxios ſuos ſuorumque concivium animos, ſi ex concionatorum quotidianis diſceptationibus ipſorum religionis exercitium perturbaretur; dein ſecuturam variationem & eliſionem obſervantiae anni 1624. diſcriminum publici ac privati exercitii, domeſticae etiam devotionis, ſanam etiam rationem & praxin quotidianam in non reſuſcitandis priſtinis malis jam ſopitis &c.* His nihil aliud, quam argutationes de metu puerili, qui in conſtantem virum non cadit, de mollibus delicatisque auribus, ad ferendas inanes declamationes imparibus, reponere novit. Religio interna reſpicit praecipue nexum inter DEVM & homines, qui eo arctior, quo magis mens a perturbationibus eſt vacua. Inanes ſolent eſſe querelae, ubi Clerus Catholicus Pontifici Romano plerumque ejusque principiis, ad turbandas res Germanorum non ineptis, conjunctiſſimus dominatur. Quod ad Hennigeſium attinet, ille Receſſu potiſſimum Huxarienſi ſeductus, ſcire debuiſſet, tale exemplum non magis facere regulam, quam ſi quid attribuitur aut indulgetur ei, qui nullum ad hoc habet jus, quod & ad celebrem Capucinorum, quae Hildeſiae accidit, pertinet cauſam. Immo Receſſus ille a ſolis Moguntini & Fuldenſis Commiſſariis in favorem Abbatis Corbeienſis, excluſis Brunſvicenſi & Oldenburgico, eisque invitis & contradicentibus fabricatus eſt, Conf. *additamenta ad Tractatum juris publici, de Statuum Imperii Romani Germanici jure reformandi p. 196. ſqq.* Nemini ignotum eſſe poteſt, talia Catholicorum complecti de cultu externo placita, ut Evangelicis religionis ſuae exercitio non niſi moleſti eſſe queant, et ſi hi deinde illis, quae Catholici amant, morem gerere nolunt,

haud

haud dubie ad iram & odia, immo mutua prolabentur tela, quae ne fiant, Inſtrumentum Pacis omnimode, ubi fieri potuit, praecavere voluit. LYNCKERI *reſponſum* 58. *Antivindiciae Ordin. provincialium Epiſcopatus Hildeſienſis p.* 86. *ſeqq.* BARONIS BOZELARI *negotiatio religionis apud Electorem Palatinum p.* 73. *ſeqq. Tractatus de jure reformandi p.*122. *ſeqq.* Satius omnino eſt, ſimultanei introductionem omittere, quam diverſae religioni addictorum altercationes de religione & ſcommata injuriasque in diverſa ſacra, eaque ſequentes prohibere, quod inutile hactenus fuiſſe, multis exemplis compertum habemus. Irrita igitur fuerunt conſilia, quae Autor meditationum ad Inſtrum.? pag. 265. ſuppeditat. Sed revertendum eſt ad beatitudinis ſtructorem, ejusque argumenta examinanda erunt. Imperii Principibus, ambabus, ut ajunt, manibus jus reformandi tribuimus, quatenus illud per Inſtrumentum Pacis non eſt limitatum, neque enim §. 30. artic. 5. limitationem anni 1624. excludit. In ejusd. art. 29. dicitur, liberas Imperii civitates circa jus reformandi, aliorumque caſuum, religionem concernentium, paria cum reliquis Statibus habere debere jura; quis autem inde colligeret, ergo jus reformandi Statuum Imperii, & de ſacris pro lubitu in ſuis territoriis diſponendi, per Inſtrumentum Pacis non poteſt eſſe reſtrictum. Porro argumentum art. 2. certo modo etiam ad mediatos Imperii cives ſuſpectat. Quid in conventu Ratisbonenſi A. 1658. ab Ordinibus Catholicis conſtitutum, legem Imperii neutiquam facit; neque enim illi pro ſuo arbitrio absque Ordinibus aliis & Imperatore Inſtrumentum pacis interpretari poſſunt. §. 50. *art.* 5. *I. P. Capit Caroli VI. art.* 11. 4. Quid autem haec ſibi velint verba: *licet* §. 51. *art.* 5. *Inſtrumenti Pacis in rigidiſſimo ſenſu acciperetur*, non intelligo. Ille enim requirit, ut in conventibus Deputatorum Imperii ordinariis numerus ex utriusque religionis Proceribus aequetur, quid hoc ad ſimultaneum religionis exercitium? Non cre-

 do,

do, Autorem noſtrum animo voluiſſe, ex hoc §. deducere, quod Catholicorum vota, ut majora, hic praeponderare debeant, de quo nihil in citato §. reperitur; convertiſſet ſaltem oculos ad §. ſequentem, in quo habetur, *in cauſſis religionis omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, aut etiam Catholicis & Auguſtanae Confeſſionis Statibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.* Tandem beatitudini aſylum in artic. VII. quaerit; ſed hic de Proteſtantibus inter ſe, non autem de Proteſtantibus & Catholicis agit. LYNCKER reſponſo 58. n. 17. Quae de ſuſcipienda probatione, ſi inter Catholicos & Evangelicos de poſſeſſione anni 1624. lites oriantur, conſarcinavit beatitudinis poſſeſſoriae oſtentator, vix merentur refelli. Conſtat enim ex inſtrumento Pacis, contra quod nulla alia jura allegari poſſunt, annum 1624. normam controverſiarum de poſſeſſione & reſtitutione exortarum eſſe, nec ad antiquiorem reſpici debere poſſeſſionem. Quodſi itaque Evangelicus jam eſt in libero ſuae religionis exercitio, & bonorum redituumque eccleſiaſticorum poſſeſſione, in ea etiam anno 1624. fuiſſe creditur; mutatio enim non praeſumitur, ſed ab allegante eſt probanda SALICETVS *ad l.* 16. *c. de probat.* Ita ut nulla hic inter Evangelicos & Catholicos ſit differentia, praeſertim cum, aequalitatem ubique inter utrosque obſervandam eſſe, evidentiſſime in §. 32. art. 5. inculcetur, ut ideo eo magis mirum ſit, meditationum ad Inſtr. Pac. Autorem p. 686. in contrariam abiiſſe ſententiam.

§. XII.

Porro beatitudinis autor p. 23. §. 5. minus beate procedit; videtur enim transactionem Paſſavienſem, quae A. 1652. facta, cum Pace religioſa anni 1555. confundere. Differentiam hanc Hiſtoriæ patriae parum forte curioſus, ex §. 1. art. 5. I. P. addiſcere potuiſſet. In transactione namque Paſſavienſi apud LVNDORP. *t.* 3. *pag.* 884.

C. R.

*C.R.p.*538. §. 6. non de ſuſpenſa jurisdictione eccleſiaſtica, ſed de convocandis Comitiis, in quibus deliberandum, qua ratione diſſidia in religione exorta commode componi poſſent agitur: in §. 8. autem, quem forte allegare voluit, nihil aliud dicitur, quam Auguſtanae Confeſſioni addictos interim ab omni vi & conſcientiarum violatione fore tutos, ſuamque religionem ſalvam & pacatam habituros. Conjicio igitur, Antagoniſtam de Pace religioſa loqui voluiſſe; aſt tunc non §. 6. ſed 20. per Inſtrumentum Pacis confirmatus citandus fuiſſet. C.R.I.p.547. Querelae autem ejus, Epiſcopos hic minus beatos fuiſſe, aliquid ex iniquo trahunt; jurisdictio enim eccleſiaſtica, non ad Sacerdotium, ſed ad Imperium ſpectat, & beati multo magis hoc reſpectu depraedicandi Epiſcopi, quod ea illis non plane ſit adempta. Videtur tamen ſe p. 24. §. 6. aliquo modo conſolari, quod illa jurisdictio non in Status Evangelicae religionis translata, ſed tantum ſuſpenſa ſit; verum quid neceſſum, in illos tranſferri, quod ipſis vi ſuperioritatis territorialis competit; remotum ſaltem fuit obſtaculum, quo impediebantur, ne jure ſuo uti poſſent. HERTII *diſſ. de Superioritate territoriali* §. 11. *ſeqq.* DECKHER *conſult. for. lib.* 1. *c.* 28. Ut verum fatear, ſuſpenſio illa jurisdictionis Epiſcopalis rationem plenariae recuperationis poſtliminio quaſi in Principibus Proteſtantibus locum habere videtur; vix enim, ſi Catholici ab Hierarchiae ſuae principiis non diſcedant, unio ſperanda erit.

§. XIII.

Nec omittendum eſt, Autorem pag. 25. §. 7. inter ea, in quibus Epiſcoporum Catholicorum jurisdictio, ſi illam anno 1624. habuerint, ſalva manere debeat, etiam matrimoniales referre cauſas, cum tamen Proteſtantium de matrimonio dogmata, quae juxta S. Scripturae ſancita de eo fovent, cum Catholicorum placitis non aeque coinci-

dant. Quod Evangelici nonnunquam ea, quae Epiſcoporum jurisdictioni eccleſiaſticae reſervata erant, in ſuis Conſiſtoriis dijudicarunt, id, ſi vera ſunt, quae narrantur, aut libera partium voluntate, aut jure retorſionis factum, quia paſſim Ordines Catholici Pacis Weſtphalicæ ſanctionibus repudium miſerunt. Quod reliquum, mihi non videtur, in cives Auguſtanae confeſſionis in civitatibus mixtis degentibus illud, quod §. 48. *a. 5. I. P.* de continuanda, ſub certa tamen limitatione, Epiſcopis Catholicis in ſubditos Evangelicos jurisdictione Eccleſiaſtica, ſi ea 1624. gaviſi ſint, traditur, locum habere; §. enim 49. aperte illorum, quae hac de re dicta ſunt, exceptionem continet, quando ibi dicitur: *In quibus civitatibus vero Imperii mixtae religionis exercitium in uſu eſt, Catholicis Epiſcopis contra cives Auguſtanae Confeſſionis*, NULLA *ſit jurisdictio.* Quam veritatem agnovit & ipſe BUCKISCH, quando in notis ad §. 49. ait: *Civitates ergo Imperii mixtae religionis hoc caſu melioris ſunt conditionis, quam Principum & aliorum Statuum Imperii territoria.* Quaenam autem fuerit ratio, quare civitatibus mixtis prae aliis Evangelicis id juris indultum, non aeque liquet. Videtur tamen hæc aſſignari poſſe, quia in civitatibus, ubi mixtum eſt religionis exercitium, Proteſtantium religioni addicti Epiſcoporum, qui juri & aequitati valedicere forte auderent, oppreſſionibus magis eſſent obnoxii, quam illi, qui in territoriis Statuum Auguſtanæ Confeſſionis illorum jurisdictioni, quoad quædam tantum capita, ſubeſſe debent. Nec ſententiae noſtrae adverſantur ultima §. 49. verba: *At Catholici juxta obſervantiam dicti anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi quarti ſuo jure experiantur.* Illa enim nihil aliud ſibi volunt, quam quod Catholici Epiſcopi in cives Catholicos juxta obſervantiam an. 1624. ſuo jure Dioeceſano & jurisdictione Eccleſiaſtica utantur.

CAP.

CAPUT V.

DE STATU RELIGIONIS EVANGELICAE IN POLONIA ET MAGNO LITHUANIAE DUCATU.

SUMMARIA.

1. *Repurgatae religionis in Polonia & magno Lithuaniae Ducatu origo.*
2. *Reges Poloniae quidam in sacra illorum, qui a Romana Ecclesia discesserunt, aequiores.*
3. *Dissidentium publicum religionis exercitium pragmaticis stabilitum est sanctionibus.*
4. *Quae Lipskius contra jura in religione dissidentium profert, refutantur.*
5. *De juribus & privilegiis terrarum Prussiae, Poloniae junctarum.*
6. *In quantum quis ob alterius delictum puniri possit.*

§. I.

NEc res Poloniae hic plane omittendae erunt; nam in ea, ac magno Lithuaniae Ducatu aeque, ac in aliis Europae partibus puriorem fidei formulam amplectentes, multa magnaque perpessi sunt mala; usque dum publicae regni sanctiones publicum Evangelicae religionis exercitium stabilirent. Cum lux Evangelii in Bohemia exoriretur, & in Poloniam tali doctrina imbuti deferrentur, passim veritatis luci locum dantes invenerunt socios. CROMERUS *rerum Polonicarum lib. XVI. pag.* 260. Nec sub Vladislao, qui, antequam Christo nomen daret, & Lithuaniae per matrimonium cum Hedwiga Ludovici Ungarorum & Polonorum Regis filia, Poloniam jungeret, Jagello dicebatur, im-

improſpera plane verioris religionis fuerunt auſpicia. Multa ſane adſunt argumenta, Cracovienſis Academiae Doctorum res cum Taboritis, Vladislao Regnique Senatu aſſidentibus, de controverſis religionis dogmatis colloquentium inferiores fuiſſe, probantia. Quo factum, ut plures adhuc, thematibus ab Huſſitis defenſis ſubſcriberent. Non autem conſtat, Zbigneum Olesnicium Epiſcopum Cracovienſem, Sacerdotem illum Bohemicum, qui ad Vladislaum venerat, rationibus deviciſſe; ſed vi illum ejectum fuiſſe, teſtatur DLVGOSSVS *P. III. Hiſt. Polon. lib. XI. ad annum* 1432. *p.* 606. *ſeqq.* Vladislai Regis anno 1434. pridie calendarum Junii mortui frater Patruelis, Vitoldi germanus, SIGISMVNDVS KORIBVTVS Lithuanus cum multis Poloniae Proceribus impenſe Bohemorum partibus favere coepit. DLVGOSSVS l. c. *ad annum* 1424. CROMERVS *rerum Polonicar. lib.* 20. *p.* 302. *&* 25. *p.* 373. Puto, ex hiſce repurgatae doctrinae primordiis deinde obtinuiſſe, ut Cracovienſis Academia, Concilii Baſileenſis effatis adhaerere decreverit; Nimirum: *Concilium eſſe ſupra Papam, non Papam ſupra Concilium*, quam ſententiam ipſe Caſimirus III. ſuam quoque fecit. STANISLAVS SARNICIVS *Annal. Polonicor. lib.* 7. *p.* 1182. *tom.* 2. *Scriptor. Polonicor.* Sic & idem Rex Pontifici non amplius permittere voluit, pro ſuo arbitrio Epiſcopos conſtituere. CROMERVS *lib.* 25. *p.* 370. REGENVOLSCII *Hiſt. Eccleſiaſt. Slavonicarum Eccleſiaſt lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 25. Et cum Rex in colloquio, a Legato Pontificis exacerbatus, dixiſſet: *malle ſe regno excidere, quam aliquem pati invito ſe fieri Epiſcopum;* Legatus vano & procaci inflatus faſtu vociferari auſus eſt: *praeſtare, ut tria regna pereant, quam ut jus & autoritas Pontificis perturbetur, aut imminuatur.* Fatendum quidem, puriori religioni addictos tunc & deinde graviſſimis afflictos fuiſſe perſecutionibus, de quibus copioſe tradit REGENVOLSCIVS l. c. *libro II.* Nec dubito, ſeveriſſimum Uladislai recens Chri-

Chriſtiani facti, aut potius a Pontificis Romani aſſeclis ſub eius nomine promulgatum edictum, Bohemicam confeſſionem ſequentium res non uno modo deteriores reddidiſſe, quanquam, ut paulo ante traditum, non ita deſperatae tamen Evangelicorum res regnante Iagellone fuerint. Maiora autem deinde ſumpſerunt incrementa, praeſertim cum durum illud Vladislai decretum fuiſſet abrogatum. Miror, Georgium Ducem OSOLINSKI oratione I. hanc abrogationem negare, cum tamen illud ex diplomatibus in contrarium emiſſis ſat abunde conſtet. Nec DEMETRIVS SVLIKOWSKI *in commentario rerum Polonicarum cap.* 24. id negare poteſt. Vide FRANCISCVM MARINIVM *de ſcopo reipublicae Polonicæ Cap. XIII. p.* 289. *ſqq.* Cumque deinde in Germania & Helvetia ſtudiis Martini Lutheri aliorumque veritas Evangelica magis pateſceret, tam in Polonia, quam in Lithuania purior religio radices agere coepit. Lithuani profecto Ducis Nicolai Radzewili curae & ſtudiis multa debent. Hic Sigismundi Auguſti in Germaniam Ablegatus, ut inde in Regium matrimonium Ferdinandi Bohemorum atque Hungarorum Regis filiam adduceret, Evangelicam ibi religionem imbiberat, REGENVOLSCIVS *l. c. lib. I. cap. XIII. p.* 72. *ſqq. & cap. XVI. p.* 140. Ex quo tempore in Polonia, potiſſimum maiori, reformatae religioni addicti triplici modo diſtincti fuerunt, in Fratres nempe Bohemicae confeſſionis, in eos, qui Auguſtanae confeſſioni, ut & in illos, qui Helveticae confeſſioni ſubſcribebant. REGENVOLSCIVS *l. c. c.* 14. optandum fuiſſet, ut omnes confeſſioni Sendomirienſi, in generali deinde ſynodo Thorunienſi 1595. confirmatae, adſtipulari voluiſſent; ſed illud Clericorum diſcordia, ut aliquibus videtur, & litigandi pruritus impedivit. Negari quoque non poteſt, Polonorum in Germaniam itinera, ſtudiorum cauſſa ſuſcepta, inſigniter Evangelicam religionem in Polonia promoviſſe. SAMVEL NEV-

GEBAVER *hiſtoriae Polonicae lib.* 8. *p.* 542. REGENVOLSCIVS *lib. I. p.* 79. *ſqq.* Raphaël Comes à Leſzno Palatinus Breſtenſis & Kujavienſis Evangelicam doctrinam Goldbergae in Sileſia hauſerat, eamque in Polonia maiori paſſim ſtabilire, ſtrenue operam dedit. Ejus filius Andreas itidem Palatinus Breſtenſis & Kuiavienſis veſtigia patris legit, nec non nepos Palatinus Beltzenſis, & pronepotes Andreas Palatinus Derpatenſis, Raphaël & Wladislaus. Hi ergo ſunt STANISLAI Majores, purioris religionis ſtrenui ſtatores, acerrimique confeſſores & defenſores.

§. II.

Quidquid etiam dicat STAROWOLSCIVS *l. c. pag.* 87. potiſſimum interregnorum tempore libertatem religionis Diſſidentium invaluiſſe; certum tamen eſt, ſub Caſimiro III. & utroque Sigismundo Evangelicorum ſacris indultum fuiſſe. Immo pateſcit, Sigismundum II. in ea pronum fuiſſe, quoniam teſte Petro Suavi, ſive potius PAVLO SAREPTA *in Hiſtoria Concilii Tridentini lib.* 5. *pag.* 456. Oratorem ſuum Paulo IV. Pontifici quinque poſtulata exhibere juſſit. 1) *De Miſſa lingua patria ac populari celebranda.* 2) *De coena Domini ſub utraque ſpecie percipienda.* 3) *De Sacerdotum conjugio.* 4) *De annatarum ſolutione tollenda.* 5) *De Concilio ejus nationis, ad abuſus ibi reformandos & opiniones varias in religione conciliandas, convocando.* Vltimum hoc caput urgebant admodum Nuncii terreſtres in Comitiis Regni anno 1555. Petricoviae congregatis. Sugillat quidem ANDREAS LIPSKY *in decade quaeſtionum publ. quaeſt.* 6. leges, quae in Statutorum Regni volumine, Papas annatarum lucro privantes, reperiuntur; ſed absque omni ratione. Nam a primitiis Judaeorum ad annatas non valet conſequentia. Vid. LVDWIGII *diſſertat. de annatis.* Glorioſiſſimus ille Princeps, etiam hoc nomine, quod Lithuaniam Poloniae prorſus adjunxit, illuſtri celebrandus laude

laude, cum ipsi Petricoviae anno 1565. confessio Vnitatis fratrum Bohemiae offerretur. *Vestram*, inquit, *Confessionem a Vobis oblatam recepimus, & lectam relegimus libenter. In qua videmus, non reperiri errores, praesertim circa fundamentum Christianismi praecipuum, articulum fidei Catholicae de Sancta Trinitate, in quo alii errant. Plane Confessio Vestra convenit cum communi fide Christiana: AC IDEO VOS AC VESTRI PACE FRVEMINI.* Conf. SARNICIVS *l. c. lib.* 8. *ad an.* 1552. *p.* 212. *Tom. II. Scriptorum Polonic.* HARTKNOCH *de republica Polonica lib. I. cap.* 2.

§. III.

Post obitum autem Sigismundi Augusti, serenissimae stirpis Jagellonicae ultimi, Ordines, tam seculares, quam spirituales, in conventu Regni generali, pacem & tranquillitatem, item jura, privilegia & dignitates Dissidentibus in religione christiane, sacrosancte conservare spoponderunt, confoederationemque illam pro lege perpetua agnoverunt, quamvis sub initium conventus, non sine vehementi ab utraque parte litium ardore, res acta fuerit. Clerus namque paci Dissidentium concedendae infensissime obstabat, sed prudentissimis quorundam Procerum romano-catholicorum effectum est, ut Clerus in salubri acquiesceret consilio. Nec moramur hic Sulikowskum, odio in Dissidentes atrocissimum, qui praeter Seculares, tantum Krusinium Cracowiensem Episcopum, reclamantibus ceteris, confaederationi subscripsisse, memorat. Maior fides Maximiliano Phedro habenda, qui de illa confaederatione sentit: Pacem dissidentibus datam esse. Vide MARINIVM *cap. XIII. p.* 293. quamvis inficias ire nequeam, multos fuisse, qui pacem dissidentibus datam iniquo ferrent animo, ut patet ex REINHOLDI HEIDENSTEINII *rebus Polonicis lib. I. p.* 39. Potissimum autem omnem lapidem moverunt Episcopi, ut turbas cierent, vetera Vladislai edicta manerent,

pacem & concordiam tollerent, sed maximae partis Procerum secularium prudentia factum est, ut acquiescerent, & in foedus pacis consentirent. *Vid. la vie du Cardinal Commendon liv. IV.* p. 231. sqq. sed hic autor, ob coecum religionis suae amorem, se in transversum abripi patitur. Inter alia vero constitutum hoc de Protestantibus reperitur: *Cum autem in republica nostra non exiguum in caussa religionis sit dissidium, occurrendo huic rei, ne ex ista caussa inter homines oriatur aliqua noxia seditionis, quam in aliis regnis clare videmus; Spondemus hoc nobis invicem, pro nobis & Successoribus nostris, quod nos, qui sumus dissidentes in religione Christiana, pacem inter nos servabimus, & propter diversam fidem & differentiam in Ecclesia sanguinem non profundemus, neque poenis afficiemus, veluti confiscatione bonorum, infamia, carceribus, & exilio, neque Magistratum ullum ad tale facinus ullo modo juvabimus; immo vero si quis sanguinem ex hac caussa effundere velit, huic nos omnes vires nostras opponere tenebimur, etiamsi praetextu decreti vel processus alicujus juridici id facere velit.* Deinde vero haec & talia addentes ita concludunt: *Haec omnia spondemus pro nobis, & successoribus nostris constanter servare, sub fide, honore & conscientiis nostris: quodsi autem aliquis his se opponere aut adversari vellet, pacemque ac ordinem destruere vellet, contra talem omnes consurgemus, in ejus destructionem. Majori autem horum omnium certitudinis caussa, sigilla nostra hisce affiximus & manibus propriis subscripsimus. Actum Varsoviae in conventione Regni generali 28. mensis Januarii Anno Domini 1573. Vide Constitut. regn. pag. 208. 209. 210.* Haec confoederatio confirmata fuit articulis pactorum conventorum Regis Henrici I. 16. Maji Anno 1573. & in Statuto magni Ducatus Lithuaniae reperitur de verbo ad verbum expressa & adprobata his verbis: *Recipiunt & spondent iidem Oratores, nomine dicti serenissimi Regis electi, omnia jura, privilegia, libertates, immunitates, praerogativas, unicuique statui & homini, ex incolis Regni & magni Duc. Lith. & omnium provinciarum ei adjuncta-*

junctarum, ſive generaliter omnibus, ſive ſpecialiter ſingulis, per ſereniſſimos Reges & alios Principes & Anteceſſores juſte & legitime conceſſas, vel quovis alio nomine quaeſitas ac diuturno uſu adprobatas, ſive etiam nunc circa electionem Regis ſui, ex unanimi & concordi omnium Ordinum conſenſu ſancitas, integre & inviolabiliter ſervaturum, atque etiam juramento corporali, juxta ſibi traditam formam, ante inaugurationem ſive coronationem ſui confirmaturum, & literis ad id neceſſariis muniturum. Vide Conſtitution. Regni pag. 226. Quod etiam sereniſſimus Henricus Rex, cum in Poloniam ad capeſſenda ſceptra veniſſet, cum jam tum antea Lutetiae de eo fidem dediſſet, ſequenti confirmavit juramento. *Ego Henricus ſpondeo ac ſancte juro DEO omnipotenti &c. Quod omnia jura, libertates, immunitates, privilegia publica & privata, juri communi utriusque gentis, & libertatibus non contraria, eccleſiaſticas & ſeculares ---- per divos Praedeceſſores meos Reges datas ab omnibusque Ordinibus tempore interregni ſtatutas, mihi oblatas, manutenebo, obſervabo, pacemque & tranquillitatem inter Diſſidentes de religione tuebor & manutenebo, nec ullo modo vel jurisdictione noſtra, vel officiorum noſtrorum & Statuum quorumvis autoritate quenquam affici opprimique cauſſa religionis permittam, nec ipſe officiam, nec opprimam. Et ſi (quod abſit) in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi incolae Regni omniumque dominiorum uniuscujusque gentis obedientiam praeſtare debebunt, abſolutionemque nullam, ab hoc meo juramento, a quo petam neque ullo oblatam ſuſcipiam, ſic me DEVS adjuvet, & haec ſancta Chriſti Evangelia.* Praeſtito ſic Reipublicae juramento, ex more deinde gentis recepto, Rex confirmationis Diplomate haec omnia adprobavit, quod, quia huc maxime quadrat, ſi non integrum, notabiliora tamen ex illo hic inſeremus: *Henricus DEI gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae &c. &c. &c. Vniverſis ac ſingulis, quorum hoc ſcire intereſt utriusque gentis &c. &c. Quandoquidem autem ſub coronationis tempus Reges Poloniae, glorioſiſſimi Praedeceſſores*

 noſtri

nostri Diploma confirmationis toti Reipublicae dare soliti fuere, cum & a nobis confirmationis Diploma desideraretur; igitur statim illud concessimus, eo modo, quo ut Praedecessores nostri, Reges Poloniae confirmationis Diplomata dabant; quo nos omnia Regni Poloniae & Magni Duc. Lith. omni unicuique dominiorum & terrarum Regni, (absque ullo invidioso & Reipublicae noxio delectu) jura, Statuta, libertates, immunitates, privilegia, ut communia, sic etiam uniuscujusque conditionis hominibus inservientia confirmavimus. Et modo hoc diplomate nostro confirmamus, ceterisque unicuique pro necessitate confirmare parati sumus &c. Circa finem autem Diplomatis haec habentur: *Itaque hisce litteris nostris, universis ac singulis notum facimus, quod nos, prout gratia providentiaque DEI unanimi omnium Statuum hujus Regni consensu in Regem Poloniae electi, sic etiam gratia & benedictione DEI in arcis S. Stanislai Ecclesia coronati simus. Vbi etiam nos universae Regni genti, ut Poloniae, sic etiam magni Duc. Lith. jura, statuta, privilegia, libertates, immunitates, generales & speciales in toto conservare & adaugere juravimus. Dat. Cracoviae die 22. Apr. Anno 1574. Regni autem nostri primo.* Nec minus in pacem religionis juravit Stephanus Bathori, eamque, quamdiu superstes fuit, inter cives nulla religionis habita ratione, aluit. Credebat enim, DEVM tria, quae supra hominum vires essent, sibi reservasse: EX NIHILO ALIQVID FACERE, CONSCIENTIIS IMPERARE, ET FVTVRA PRAESCIRE. MARINIVS *l. c. p.* 296. HEIDENSTEINIVS *p.* 94. PIASECIVS *in chronica gestorum in Europa singularium ad annum* 1587. *p.* 56. Cuidam, ut quemadmodum una lex, sic etiam una fides in Polonia esset, desideranti respondit; *Rex sum populorum, non conscientiarum.* Obtinuerunt tandem Dissidentes, Bathorio vivis exempto, sub interregno, ut in edicto pacis interregni publico securitatis religionis Dissidentium inserta fuerit cautio. Obnitebantur quidem graviter Ecclesiastici, *sed Equestris ordinis viri catholici aeque*

ac

ac haeretici,ut criminatur Piaſecius,*hoc indigne admodum ferebant.* Pacem publicam per ipſos turbatum iri querentes, edicto foederique ſubſcriberent. Piasecivs *l.c.p.*57. Quam validae etiam tunc temporis a Secularibus adducerentur rationes, a ſalute reipublicae deſumptae, effici tamen non potuit, ut ad ſubſcribendum alius, praeter Epiſcopum Caminiecenſem Laurentium Goslichi accederet; nihilominus electus deinde Sigismundus III. Rex jurejurando ſe obſtrinxit, pacem Diſſidentium in religione ſe tuiturum. *Conſtitutio regni p.* 446. 447. Poſt Sigismundi mortem, Evangelici antedicta juramenti formula non contenti, poſtularunt, ut in omnibus civitatibus regni, nobilibus aeque ac plebejis uſus religionis publicus concederetur, Principum mandata & iudicum decreta actaque publica tali exercitio contraria reſcinderentur, ad magiſtratus in urbibus regiis aeque Diſſidentes ac Catholici aſſumerentur, in Aula regia certa officia, quae non niſi e Diſſidentibus aliquis obiret, inſtituerentur. Piasecivs *p.* 442. *ſqq. ad annum* 1632. Oppoſuerunt quidem ſe ad unum omnes Catholici, ſi Piaſecio fides danda, monentes: *nulla ratione ſe permiſſuros, licentiam haereſeos dilatari, in praeiudicium avitae religionis;* eoqne audaciae proceſſit aliquis Nunciorum, ut palam profiteri non erubeſceret: *Haereticis ea, quae leguntur*, (legebat autem Mareſchallus Nunciorum verba edicti pacis interregni) *non tam concedi, quam diſſimulari.* Verum hunc alaſtorem Dux Radziwillius graviſſima correxit oratione, addiditque: *tali ratione Diſſidentibus nihil certi ſincerique, ſed omnia ſuſpecta & perſonata relinqui, cum tamen ejusdem reipublicae cives, aequali cum Catholicis jure, in omnibus libertatum nobilium titulis cenſeri deberent.* Marinivs *de ſcopo Reipubl. Polonicae pag.* 299. Quo factum ut inimica illa paci Religionis formula deleretur, ſubſcribereturque confoederatio a catholicae religionis aſſertoribus: *ſalvis juribus Eccleſiae Catholicae Romanae.* Piasecivs *l. c. pag.* 545

Cum

Cumque ante electionem Vladislai IV. denuo Diſſidentes inſtantius urgerent, ut pax religionis certa eſſet, parum abfuit, quin diſceptantes inter ſe de religione arma adverſus ſe invicem ſumſerint; adhibebant enim Catholici, inprimis Eccleſiaſtici, loquendi formulas, religioni & juribus Diſſidentium non levem inferentes injuriam. PIASECIVS *pag.* 448. Prudentiores tamen, ut & ipſe Vladislaus in Regem eligendus, ſua interpoſuerunt officia, ne ſumptis armis conventus electionis regiae diſtraheretur, hinc utrique parti moderatiora ſuaſerunt conſilia. Atque deinde inſecutum, ut Vladislaus Rex electus eandem, quae Deceſſores, formulam juramento corroboraret. Auſus quidem eſt Archiepiſcopus Gnesſenſis, juribus Catholicae religionis nullo modo tali juramento derogari poſſe, vehementer urgere; quaenam autem intellexerit hic Cleri & totius Regni Primas per jura Catholicae religionis, dubium eſt. Merito ſane huic Praeſuli vitio vertendum eſt, quod Palatino Belzenſi Raphaeli Leſzczynski jura Diſſidentium in religione, ut par erat, propugnanti reſponderit: *ſe publicam legem, qua haereticis* (ſcomma illius) *indulgetur pax, neſcire.* Quid enim tot Regum jurata promiſſa aliud ſunt, quam ſanctiones publicae, inter illos & Ordines initae, non ſolum paciſcentes, ſed & totum regnum obligantes. Immo Ordines quoque anno 1573. jurarunt inter ſe invicem, quod pacem publicam religionis ſub fide, honore, & conſcientiis, ſub vinculo juramenti, pro ſe & ſucceſſoribus ſuis ſervare velint. Et ſi quis contravenire pacemque turbare auſus fuerit, contra talem omnes inſurgere in ejus deſtructionem. Jura atque privilegia haecce Diſſidentium in religione Chriſtiana a Sigismundo Auguſto, usque ad modernum Potentiſſimum FRIDERICVM AVGVSTVM Regem ab Ordinibus Reipublicae condita, & quovis confoederationis tempore confirmata & Sereniſſimorum Poloniae Regum continua ſerie ſibi ſuccedentium juramentis corroborata

borata ſunt, prout hoc patebit ex diplomate regio paulo poſt allegando. Ipſe denique Rex FRIDERICVS AVGVSTVS, modo ad clavum reipublicae ſedens, ante coronationis ſolemnitates Anno 1697. in pacem & tranquillitatem Diſſidentibus inviolabiliter conſervandam conceptis juravit verbis: *Ego Auguſtus II. DEI gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae &c. &c. Tum pacta conventa per Ordines Regni & Magn. Duc. Lith. mihi tradita, manutenebo, obſervabo, cuſtodiam & adimplebo, in omnibus conditionibus, articulis & punctis in iisdem expreſſis. PACEM QVOQVE ET TRANQVILLITATEM INTER DISSIDENTES DE RELIGIONE CHRISTIANA, TVEBOR, MANVTENEBO; nec ullo modo vel jurisdictione noſtra, vel officiorum noſtrorum, & Statuum quorumvis autoritate, quemquam injuria affici opprimique, cauſſa religionis permittam, nec ipſe afficiam, ac opprimam, ac ea quae in electione noſtra conſtituta ſunt, & quae in conventione coronationis noſtrae conſtituentur, manutenebo, iisque ſatisfaciam. Sic me DEVS adjuvet &c.* Quid nuperrima confoederatione Anno 1716. circa religionem Diſſidentium actum, non ignotum eſt, & quamvis Clerus omnes intenderet nervos, ut ſtabilita religionis pax deſtrueretur, prudentiori tamen animo maior ſereniſſimae reipublicae pars fuit praeviditque, ad conſervandam publicae tranquillitatis integritatem, pacem Diſſidentium maxime conferre. Ideoque cum Commiſſarios ex mag. Duc. Lith. ad componendos confoederationis tractatus anno 1716. ablegaret, inter alia reipublicae pertractanda negotia, hunc articulum numero X, ſummae eorum commendavit curae: IVRA DISSIDENTIVM ANTIQVA CONSERVENTVR INVIOLABILITER, CIRCA SVAS CIRCVMSCRIPTIONES. Cum tamen contra mentem reipublicae, renitentibus etiam Commiſſariis, Articulus IV. de religione tractatui non inſertus ſolum, ſed etiam, priusquam ipſe

tractatus, in multis locis promulgatus, portis ecclesiarum affixus, & ceu lex aliqua inconcussa, proclamatus esset, maior reipublicae pars, audax hoc & sibi pernitiosum facinus iniquo tulit animo. Patet hoc abunde ex epistolis reipublicae Procerum ad se invicem scriptis, & quo maiorem apud Lectores fidem invenirent, publica Mag. D. Lith. tribunalis auctoritate adprobatis, quas vide in volumine jurium & libertatum Dissidentium in Reg. Pol. & Mag. Duc. Lith. p. 79. 80. 81. 82. Pacem inter Dissidentes urgebat quoque Commissio generalis M. D. L. Brestiae congregata, in literis suis ad Ill. D. Leduchowiki praesidem confoederationis regni: sic & magna pars Senatorum Brestiae agentium, anno 1716. d. 26. Octob. in tam salubre reipublicae consilium manibus pedibusque ivit. Ill. DD. Commissarii M. D. L. ibidem congregati in litteris anno 1716. d. 7. Nov. ad Il. DD. Mareschalcos utriusque, tam Regni Pol. quam M. D. L. confoederationis designatos datis, pacem Dissidentibus conservandam pro primario rerum tractandarum argumento commendabant. Maxime autem ex epistola ipsius Cleri Romani, Antistitis & Episcopi Missionopolitani ad Episcopum Cujawiensem exarata, quam, quia majoris momenti est, hic addendam necessarium esse duxi:

ILLVSTRISSIME &c.

Punctum circumscriptionis religionis, quod concernit & Dominos Dissidentes in Magno Ducatu Lithuaniae degentes, nihil sibi ultra concessa liberi exercitii religionis jura usurpantes, rogo Ill. D. V. ut circumscriptus rigor non extenderetur in incolas Magni Ducatus Li.huaniae. Nam fateri teneor, primarios jurium nostrorum defensores Dominos Dissidentes in Magno Duc. Lith. qui semper etiam defendunt jura nostra spiritualia, ut convulsionem suorum non experiantur. Dignabitur itaque Ill. D. V. autoritate sua suprema mederi, ut quisque gaudeat suo jure a republica sibi concesso. Ceterum

rum cum profundiſſima veneratione permaneo Ill. D. V. humillimus ſervus. Breſtiae 24. Octobris Anno 1716. Mat. Ancuta Epiſcopus Miſſionopolitanus. Referendar. M. D. L. Suffragan. Praelat. & Coadjutor Vilnenſis. Huc etiam pertinet articulus in ordine III. a confoederatis Reipublicae Statibus, Deputatis ſuis ad Sereniſſimi Regis Plenipotentiarios ablegatis anno 1716. die 22. Decembr. demandatus. *Jura Diſſidentium ut inviolabiliter circa antiquas leges & ſolitos uſus conſervarentur, ſine ulla aggravatione & innovatione. Stanislaus Leduchowski, Subcamerarius Krzemieniecenſis, Mareſchallus Confoederatae Reipublicae. Chriſtophorus Suliſtrowski, Vexillifer Osmanenſis, Mareſchalicus Generalis Confoed. Mag. Duc. Lith.* Ad hunc articulum Ill. D. Plenipotentiarii Regii tale dederunt reſponſum. *Ad tertium: Juribus anterioribus Diſſidentium, per articulum de Religione in tractatu expreſſum nihil derogatum; ſed quia nonnulli abuſus tempore belli Suecici, ac domeſtici diſturbationis, contra vetera jura irrepſerunt, ne ulterius ſerpant, & limites debitos transgrediantur, fines legum eo ſolummodo intuitu renovati & inſtaurati ſunt, ſalva pace inter Diſſidentes, & paritate ſtatus quoad aequalitatem juris & poenae. Conſtantinus Szaniawski Epiſcopus Cujawienſis & Pomeraniae, Plenipotentiarius Sac. Reg. Maj. ſalvis juribus ſacrae Romanae Eccleſiae & Patriis contra Diſſidentes. Stanislaus Chomentowski Palatinus Mazoviae Plenipotentiarius Sac. Reg. Maj. ſalvis juribus Sacrae Romanae Eccleſiae Patriis & Ducatus Mazoviae, contra Diſſidentes. Jacobus Henricus Comes a Fleming. S. P. M. D. L. Plenipotentiarius Sac. Reg. Maj. ſalvo juramento Regis ratione Diſſidentium.* Reaſſumta deinde & adprobata ſunt jura Diſſidentium in religione chriſtiana Regni & M. D. L. in ſubſequentibus comitiis, & hiſce expreſſa verbis: *Diſſidentes in religione chriſtiana, cum ſuis juribus, privilegiis & libertatibus in aequalitate ſtatus nobilitatis & praerogativarum ſecundum uſum antiquarum confoederationum generalium, Pactorum conventorum, Conſtitutionum, juramentorum Regiorum & Statut. Mag. Duc. Lith. praeſer-*

tim Ann. 1573. 1587. 1627. 1632. 1638. 1648. 1650. 1654. 1655. 1667. 1685. *de pace, ſecuritate & exercitio religionis Diſſidentium conſtitutorum, inviolabiliter, non obſtante ulla contraria diſpoſitione, conſervamus & hoc unanimi omnium Ordinum conſenſu conſtituimus. Stanislaus Leduchowski Succamerarius Krzemieniecenſis Mareſchalcus Comitiorum.* Vrgentibus deinde reipublicae Ordinibus, ut reaſſumtio haec jurium Diſſidentium in religione Chriſtiana Regni & M. D. L. conſtitutionibus reipublicae inſereretur, ſequenti formula eſt illata: *Explicatio articuli IV. in tractatu praeſenti, diplomate Sacrae Regiae Majeſtatis aſſecuranda & inſerenda in volumen legum cum approbatione: Diſſidentes in religione chriſtiana, circa antiqua jura, privilegia & praerogativas conſervamus, abuſus vero omnes tolluntur, praevio proceſſu ſolito, in foro, lege veteri praeſcripto.* Confirmavit deinde hoc Potentiſſ. FRIDERICVS AVGVSTVS diplomate, quod hujus eſt tenoris:

Auguſtus II. DEI gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae &c. &c. Siguificamus praeſentibus litteris noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, quod coram actis praeſentis metricae Regni Cancellariae noſtrae majoris, perſonaliter comparens Nobilis Benjamin Arnold Conſiliarius noſter Aulicus, obtulit ad actitandum, actisque praeſentibns inſerendum diploma manu noſtra ſubſcriptum, ſigilloque majori Regni communitum ſanum, ſalvum ac illaeſum, omnique prorſus ſuſpicionis nota carens, tenoris ſequentis:

Auguſtus Secundus DEI gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae &c. &c. Significamus praeſentibus litteris noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, etſi ad ſtabilimentum pacis Diſſidentium in religione Chriſtiana nihil in Regno & M. D. L. ultra antiquiores & recentiores confoederationes, pactaque conventa noſtra deſiderari cenſeamus, ad vota tamen & deſideria eorundem in religione Diſſidentium clementer incitati, ne communem nobilitatis aequalitatem & pacem ſuam per articulos moderno tractatui inſertos, laeſam

tam esse arbitrentur, eosdem articulos insertos tractatui Confoederationum annorum 1573. 1587. 1627. 1632. 1648. 1668. 1674. *&* 1697. *Pactis conventis nostris, iisdem Dissidentibus in religione servientibus, nullatenus derogare debere declaramus, & circa libertates in iisdem confoederationibus omnibus descriptas juxta earum tenorem (qui hic pro inserto & expresso haberi debet) praedictos in religione Dissidentes conservamus, & ab omnibus statibus, officialibus & judiciis conservari debere volumus. In cujus rei fidem, praesentes manu nostra subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviae die III. mensis Februarii Anno MDCCXVII. Regim. vero nostri XX Anno*

AVGVSTVS REX.

(L.S.)

Matthaeus Iljiak Ensifer Braclav.
S.R.M. Sig.M.Regni Secretarius.

Illatum itaque est Diploma hoc regium actis publicis, consentiente Rege & Statibus reipublicae. Omnia haec documenta in variis judiciis, tribunalibus, actis publicis inserta, evidentissime probant, communem Ordinum defuisse consensum, ut articulus IV. qui Dissidentibus in religione christiana, eorumque cum ceteris reipublicae membris aequalitati, juribus, libertatibus atque privilegiis, praejudicat, constitueretur. Constat itaque abunde, articulum illum IV. injuste adversus Dissidentes allegari.

§. IV.

Quae de Dissidentium in Polonia publico religionis exercitio pragmaticis stabilito sanctionibus dicta sunt, mul-

torum experiuntur impetus. Ne autem cum turba nobis res sit, demus ei Advocatum, & quem potius, quam ANDREAM LIPSKI a Lipe *I. V. D. Schol. Cracovienſ. ex Plocens. cuſtod. Gnesn. ſacr. Reg. Maj. a ſecr. in decade quaeſtionum publicarum quaeſt. 8. p. 83. ſqq.* Sed imbecilliores merito hujus autoris reputabis arietes, ſi veritati locum dare tibi animus ſit. Falſum eſt, religionem Evangelicam reipublicae rationibus repugnare & honeſtati. Defeciſſet profecto in probatione, ſi eam ſuſcipere auſſus eſſet Antagoniſta. Aberrat quoque, ex tolerantia religionum, malum per ſe in rempublicam redundare; vigent enim nonnulla territoria, ubi variae tolerantur religiones. Optarem ut aliquis ex Theologorum numero aut etiam Papiniani diſcipulus revelatae doctrinae non imperitus PAPINVM in libro, qui inſcribitur *la tolerance des Proteſtans & l' auctorité de l' Egliſe* aberrantem corrigeret. Ex antecedentibus pateſcit, libertatem credendi & rationi & revelationi convenire; exinde falſum eſt *Lipskii* aſſertum, *libertatem credendi nihil aliud eſſe, quam libertatem errandi.* Illa, in quibus Beza & Calvinus aliquid humani paſſi ſunt, veritatis non poſſunt eſſe norma. Collapſis igitur perverſis illis adverſarii principiis, concluſio illius, quod confoederatio religionis purioris anno 1573. inita ab honeſtate & utilitate ſit remota, etiam corruat neceſſe eſt. Sic & infelici plane ſydere confoederationis juſtitiam in dubium vocat, quodſi enim confaederationi non eſſet datus locus, in civilia ruiſſent arma adverſae religioni addicti, & ſic per hanc confaederationem non peſſumdata, ſed ſervata eſt respublica. Quae forte minus recte a Diſſidentibus in religione facta ſunt, ſi vera eſſent, quae Lipskius refert, ipſi religioni adſcribere nefas eſſet. Quae respublicae ab autore enarratae paſſae ſunt mala, non ex religionis Evangelicae tolerantia, ſed ex Catholicorum vehementia exorta ſunt. Clerus non leges eccleſiaſticas ferre, ſed orare, animarum curae invigilare

lare bonisque operibus aliis praeire a Christo Servatore nostro jussus est. Et quidquid sibi juris Papa circa potestatem leges ecclesiasticas condendi vindicat ex usurpatione, est injustum; legislatorem enim talem & ratio & revelatio ignorant *Nemo leges potest praescribere, nisi ille, qui habet jurisdictionem atque imperium*, sunt Lipskii verba: Ast papa non habet imperium ecclesiasticum universale a ratione, quia tale natura ignorat, & impossibile est, unum tot tantisque superesse posse curis; nec a revelatione; ille enim, cujus vicarius salutari vult Pontifex, obsequium & ministerium, non imperium discipulis suis injunxit. Forte dixeris, regimen illud ex conventione esse; verum talis conventio non extat, & universali Pontificis sacro principatui fortiter semper restitit antiquitas. Si quae forte temporum injuria sacris artibus & machinationibus iniquis consecutus est, eis, cum injuste contra indolem Sacrae Scripturae & mala fide detinuerit, privari potuit. Idem dicendum de judicio in causis ecclesiasticis, quod Clerus sibi ex statuto Sigismundi de anno 1543. adjudicat; nam Clero non nisi judicium directivum competere, supra demonstratum. Quidni Proceres Poloniae ad tuendam conscientiarum libertatem, id est, ne illis vis inferatur, foedus inire potuissent. Et licet Ordines regni ecclesiastici ei non subscripsissent, valori tamen illius nihil inde decessisset; jus enim illud fluit ex facultate, qua singuli gaudent, ad defendendas conscientias. Immo nullum est dubium, quin & Ecclesiastici confaederationi suffragati sint, illud enim, quae adscripta sunt verba, probant: *Nos Consiliarii spirituales & seculares.* Adversarius quidem elabi nititur, praetexens, usitatam hanc formulam contra voluntatem Cleri irrepsisse: Sed quis crederet, Clerum passurum fuisse, ut haec conventio, quae ratione singulorum vim legis habet, legum publicarum codici esset inserta, si se invito locum habuisset. Vnius aut alterius fervidiori obsequio Pontifici obnoxii protestatio

tio totius Cleri diſſenſum non infert. Poteſt quoque eſſe, ut illi, qui conſenſum ſuum foederi dederant, Papae perſuaſionibus pedem retrahere voluerint, quod tamen propter jus Diſſidentium jam tum quaeſitum facere non potuerunt. Falſum eſt, confaederationis illius alium finem fuiſſe, quam pacem & regni tranquillitatem. Nec juribus Catholicorum, Diſſidentes in religione nocere, ſed ſuae religionis exercitio potiſſimum illo tempore, ubi ad plenam denato Rege redierant libertatem, proſpicere voluerunt. Negamus quoque, inde omnis generis de religione opinionibus in Poloniam aditum eſſe conceſſum; illud enim confoederationis verba non involvunt. Porro allotria ſunt & ad rem nihil facientia, quae contra poſſibilitatem confoederationis affert. Foedus illud, ut latiali magis loquar vocabulo, primario repurgatae religionis exercitium ab omni vi & injuria tutum reſpicit. Et quid mali habere poſſit, Catholicos & Diſſidentes in religione, ſe in id amice conſpirare velle, ſibique mutua praebere auxilia, ut utriusque religionis libertas ſalva ſit, ſibi invicem fidem dediſſe. Nefas eſt illos, qui revelationis dogmata, prout in ſacro codice manifeſtata, ſequuntur, iis, cum quibus foedus inire nefas dicunt, accenſere velle. Bulla illa excommunicationis, quam S. caenae nominant, ſapit injuſtum & violentum Pontificis dominatum, nullamque, cum fundamentum deſit, vim obligandi habet; nec minus ſumma eſt injuria, fidei formulam, quae ſacrae ſcripturae congruit, haereticam vocare. Porro non melioris notae ſunt, quae de unitate religionis, ſcilicet quod illam natura jubeat, refert. Fatemur quidem, utile admodum eſſe, ſi omnes eandem de DEO opinionem eundemque ſectarentur modum, illum colendi: aſt hoc ſecundum luminis naturae ductum neceſſarium eſſe, non liquet; immo ea, quae de diverſitate facultatis cognoſcendi & temperamentorum, aliisque unitatem religionis impedientibus cauſis nota ſunt, contrarium potius docent. Deinde ſaepe

diſtin-

distincti coetus, quoad essentialia religionis capita inter se conveniunt, licet unus cœtus præ alio puriora habeat sacra. Iniquum est, quod Catholici reformatos ferre nolint; cum tamen hi nec in vita nec in doctrina aliquid profiteantur, quod Reipublicae noxium & eis offensioni esse possit. Atque sic absonum est, quando Lipski criminatur, idem esse ut reformati in Polonia tolerentur, & in libero religionis suæ exercitio defendantur, ac si quis aliquem adigere vellet, ut tenebras lucem, malum bonum adpellet. Quae de ratione condendarum legum publicarum in Polonia, nimirum quod illae unanimi spiritualium & secularium Procerum consensu sanciendae sint, late edisserit, nullam habent utilitatem; ostensum enim jam tum est, confoederationem illam omnium aut plerorumque saltem ecclesiasticorum & secularium Procerum suffragiis esse ictam. *Habent autem omnes hoc commune consociationes, quod in iis rebus, ob quas consociatio quaeque instituta est, universitas & ejus pars major, nomine universitatis obligent singulos, qui sunt in societate.* GROTIUS *de J. B. & P. lib.* 2. *cap.* 5. §. 17. Largior, sub initium forte majorem contra hanc confoederationem monentium fuisse numerum; verum posteaquam illam, non nisi ad reipublicae tranquillitatem & antiquam formam conservandam tendere, perciperent, consilia retulerunt in melius. Nam consociatione in unam Rempublicam per mortem Regis rupta, penes Dissidentes erat, sub quibus conditionibus ad novam societatem venire vellent; atque, licet hic res conscientiae non fuisset, ne quidem, hoc rerum statu, pars major minorem, ut eo, quod antea placuerat, staret, obligare potuit. Quomodocunque itaque protestationes illae se habuerint, juri quod Dissidentes ex confoederatione acceperunt, nocere non potuerunt. Nec ex eo valorem aliquem protestatio Parisiensis, quod ab Henrico Rege admissa fuerit, nacta est, per admissionem enim res in se invalida valorem accipere non potest. Quod autem, cum jam diadematis regio im-

ponendi capiti & confirmandorum jurium Regni tempus venisset, universus Poloniae Clerus contra foedus saepius memoratum protestationem, ne inter jura Regni confirmaretur, interposuerint, a veritate abhorret. Nam ipso Lipski teste, non pauci Episcopi & Abbates aberant, a quibus Regni Primas cum asseclis nonnullis tunc protestans, mandato non fuit instructus. Confoederationem a Rege Henrico confirmatam esse, supra probatum ivimus, & sic non confirmatio, sed nonnullorum turbulentorum de ea querelae ad conventus particulares rejectae sunt, ut hoc modo Rex se ab importunis eorum solicitationibus liberaret. Magnam veritatis vim esse, etiam in illos saepe, qui ei locum dare negligere solent, adversarius suo comprobat exemplo: egregium enim veritatis agit confessorem, quando in sequentia erumpit verba: *a Stephano & Sigismundo III. aliquoties tam videlicet in electionibus, quam & in coronationibus illorum istos articulos de pace inter Dissidentes in religione tenenda adprobatos atque confirmatos esse.* Verum additamentum ejus, id reclamantibus Senatoribus spiritualibus & secularibus factum esse, ab annalium & actorum publicorum fide procul abest. Non necessum fuit, ut in confirmatione electionis Regis Stephani, quae Andrejowiae 1576. die prim. Februarii facta est, specialiter denuo confaederationis mentio injiceretur. Neque subscriptio Stanislai Karnkowskii Episcopi Wladislawiensis, *salvo jure spiritualium*, Dissidentium juri quaesito detrahere potuit. Rex Stephanus deinde in confirmatione jurium atque privilegiorum regni, quae in civitate Megges 8. die mensis Februarii anni 1576. facta, haec adhibuit verba: *quod nimirum aliqui incolae regni id sibi caverunt speciali confaederatione, ut in causa religionis pacem habeant, quam nos illis conservaturos plene & perpetuo pollicemur.* Futilia sunt, quae ad imminuendam hanc confirmationem Lipski affert; Confaederationem, quae a Stephano confirmatur, singularem, non universalem esse; nam per ali-

quos

quos regni incolas in religione diſſidentes illi intelliguntur, qui per Confaederationem ſibi conſcientiarum libertatem & publicum religionis exercitium cum annexis juribus a Catholicis ſtipulati erant. Neque juribus Diſſidentium inde aliquid decedit, quod ipſis non niſi pax in religione caveatur & permittatur, quoniam illud de pace, quatenus liberum religionis exercitium in omni plenitudine reſpicit, intelligendum eſſe, ex eo patet, quod Stephanus pacem plene & perpetuo confirmaverit. Denique ea, quae in Lipskii opuſculo, ad ſtatum controverſiae noſtrae ſpectantia adhuc ſequuntur, aut nullius plane ſunt momenti, aut ad illa ex jam tum a nobis allatis reſponderi poteſt. Nec ignotum eſt, priores leges per poſteriores expreſſe aut tacite revocari poſſe, quod & fieri debet, ubi priores aliquid ex iniquo trahunt, ut habebant illae conſtitutiones ab adverſario recitatae, quae Cleri haud dubie ſollicitationibus importunis adverſus puriora ſacra eaque ſequentes emiſſa ſunt.

V.

Iisdem cum Polonia juribus ac privilegiis, immo certo reſpectu majoribus gaudet Pruſſia Polonica quae Teutonici Ordinis oppreſſiones, privilegiorumque ſuorum violationes, diutius patienti ferre recuſans animo, ſe Poloniae adjunxit. Audiamus de his loquentem Caſimirum in privilegio terrarum Pruſſiae de anno 1454. *Verum illa cum temporis proceſſu differentia partium adeo creſcendo invaleſceret, ut Praelati ſpirituales & ſaeculares, militares terrigenae & cives terrarum praedictarum ſpe extrema deſtituti & injuriarum magnitudine preſſi, violentis Dominis jura & privilegia atque immunitates eorum pro lubitu frangentibus, nullatenus ſibi de cetero parendum duxerunt, ſed legibus divinis & humanis innixi, quae injuſtis Dominis, ſcelus & nefas agentibus nullatenus parendum decernunt terrasque & Dominia praedicta, regno Poloniae reintegramus, reunimus, invi-*

ſceramus, & incorporamus & ad uſum participationem omnium honorum, jurium, libertatum & praerogativarum, quibus Praelati, Barones & Nobiles regni Poloniae hactenus potiti ſunt, & ſignanter ad futurorum Regum Poloniae, quotiescunque ſuper electione & coronatione illorum fieri deliberationem contingit, electionem & coronationem admittimus, promittentes inſuper, pro nobis, heredibus, & ſucceſſoribus noſtris, quod praefatos Praelatos ſpirituales ac ſacras aedes & eccleſias, Barones, nobiles & cives atque ſingulos incolas terrarum noſtrarum praedictarum Pruſſiae, in juribus, libertatibus, litteris, privilegiis, immunitatibus eorum, quae a principibus ſpiritualibus & ſecularibus Regibus & Dominis terrarum praedictarum obtinent, conſervabimus, fovebimus, defendemus, nec unquam ea violabimus aut praevaricabimur, aut violari vel praevaricari quomodolibet permittemus. *ITEM OMNES CAVSSAS NOTABILES, DICTAS TERRAS CONCERNENTES, CVM COMMVNI CONSILIARIORVM SPIRITVALIVM ET SECVLARIVM, NOBILIVM ET CIVITATVM MAIORVM CONCILIO TERRARVM PRAEDICTARVM TERMINABIMVS ET DEFINIEMVS.* In reciproca ſponſione inter Caſimirum & Ordines terrarum Boruſſiae reperiuntur ſequentia: *ſanctiones, inſtituta & decreta, quoslibet, feudales & ſubditos jugum ſubjectionis & obedientiae permittunt excutere, & in ſortem regimenque juſtorum dominorum ſe conferre, dum Rectorum & Principantium temeritas fraenis laxatis licentiae, per quaelibet devia & abrupta graditur, & manus nonſolum iniquas ad irrogandas injurias, ſed etiam ad effundendum ſanguinem innocentem cruentas immoderata audacia porrigens, quaſi apud DEVM ultionum omnis vindictae ratio conquieverit debacchatur.* Varie deinde terrarum Boruſſiae a Caſimiro privilegia ſunt confirmata. *Vide jura municipalium terrarum Boruſſiae p.* 31. quod & a Sigismundo *l. c. p.* 46. *ſqq.* & in Comitiis Thorunii anno 1538. factum eſt. Nec omittenda ſunt, quae Inſtrumento pacis Olivenſis Galliae Regem ſponſorem

rem habentis articulo 2. §. 3. habentur. *Civitatibus Borussiae regalis, quae in possessione Sacrae Regiae Majestatis regnique Sueciae hoc bello fuerunt manebunt itidem omnia jura, libertates, ac Privilegia, quibus sive in profanis potitae sunt ante hoc bellum, salvo libero, ut ante bellum hoc viguit, in praedictis in ecclesiasticis, sive civitatibus Catholicae & Evangelicae religionis exercitio.* Appendix ad Pufendorf *res Caroli Gustavi* p. 41.

§. VI.

Æquitati & legibus nihil est convenientius, quam ut illi tantum, qui delictum commiserunt, puniantur, nec in caussis ubi de profundendo sanguine humano agitur contra receptum judicandi ordinem procedendum est, solentque in bene ordinatis judiciis, reis non una, sed plures concedi defensiones. Injustum enim est, reum indefensum capite mulctare. Nemo ob alterius delictum puniri potest, quam qui se ejus participem fecit, & communitas aut Rectores non tenentur ex subditorum delictis, nisi adsit scientia aut facultas prohibendi. Grot. *de J. B. & P. lib. II. cap.* 21. Saepe quaedam a magistratu dissimulantur, & punitio refractariorum in commodius differtur tempus, ne tota communitas in motus agatur. Ita & extinctis illis, per quos ad universitatem meritum deducebetur, ipsum quoque meritum extinguitur, ac proinde ac poenae debitum, quod sine merito diximus, non consistere *Grotius loc. cit.* §. 2. *n.* 3. Neque civitas, si forte magistratus ejus impegerunt, puniri juribusque suis ac privilegiis emungi potest, nisi in illud, quod ab eis perverse factum est, consenserint. Grot. *l. c.* §. 7. Non male ad hoc, ut in civitatem ob magistratus sui delictum animadverti queat, requirunt ICti, ut oppidum aut universitas, vel campanae vel tubarum sono, vel etiam praevocationis, vel quo alio modo cives suos convocet, atque ita communicato concilio & habito tractatu delictum admittatur. Cothman *responso juris* 34, *num.* 213. *sqq.* Minime autem, si magistratus neces-

neceſſaria ad compeſcendas turbas in urbe enatas adhibet media, & hunc ob finem cives convocat, rebellio vocari poteſt.

CAPUT VI.

DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA RELIGIONEM IN ALIENO TERRITORIO.

SUMMARIA.

1. *Homines in mutuum nati ſunt adjutorium.*
2. *Reges potiſſimum inique oppreſſis praeſto eſſe debent.*
3. *Inprimis Chriſtianis a Chriſtianis regibus ſuppetiae ferendae, licet illi diverſam fidei formulam ſequantur.*
4. *Socius habet jus cogendi ſocium, ut foederis legibus & communi placito ſtet.*
5. *Antequam arma induantur, pacis ſunt tentanda conſilia.*

I.

NIhil naturali aequitati eſt convenientius, quam homines mutua ſibi ferre auxilia. Eo ipſo enim, quod Creatori placuit, unum pluribus reſiſtere non poſſe, voluit etiam, ut uni plures, ſi eorum auxilio indigeat, opem ferrent, cum ipſa naturae noſtrae indoles ſuadeat, DEVM imprimis hominum intendiſſe conſervationem. Quamobrem non male ait SENECA *lib. I. de ira cap. VII. Homo in adjutorium mutuum generatus eſt.* Adparet igitur, vinculum illud univerſale

verſale generis humani, amicitiam puto, potiſſimum mutua indigentia inniti. Adjumento ſimus omnibus injuſte oppreſſis, etſi nulla alia, quam communis originis & indulgentiae ratio nos ad hoc invitet. Inter hos autem illi, cum quibus amicitia quaedam ſingularis aut religionis ſocietas nobis intercedit, licet auxilia non ſint promiſſa, ſunt praeferendi. Inprimis autem iis, quibus ex pacto aut ſponſione, vel fidejuſſione ad ſuppetias ferendas tenemur, ſubvenire debemus. *Grotius de jur. bell. & pac. lib.* 2. *cap.* 25. §. 4. Neque hoc in illis, qui ſub alieno ſunt imperio, exceptionem pati, ſi manifeſta ſit injuria, docet GROTIVS *l. c.* §. 8. Sic in Maxentium & in Licinium Conſtantinus, in Perſas alii Romanorum Imperatores arma ceperunt, aut capere minati ſunt, niſi vim in Chriſtianos religionis nomine omitterent. LOZOMENVS *Hiſtor. Eccl. l.* 6. 2. *Cap. XIII.* Summa enim eſt injuria, aliquem ob Chriſtianam religionem, inprimis puriorem, non dato libero diſceſſu, bonis, immo ipſa vita privare, cum nihil ſit in diſciplina Chriſtiana per ſe conſiderata, quod humanae ſocietati noceat, immo nihil, quod non proſit. GROTIVS *l. c.* §. 49. Summo itaque jure glorioſiſſima Anglorum gens oppreſſis ſuis in Gallia fidei ſociis auxilia tulit.

§. II.

Quae itaque jam dicta ſunt de auxiliis oppreſſis ferendis, potiſſimum ad Reges & Principes ſpectant, quibus praeter peculiarem ſuae civitatis, etiam generalis pro humana ſocietate cura incumbit. GROTIVS *de jur. bell. & pac. cap.* 20. §. 44. Quaeritur hic, an iis quoque, qui in ſubditos a fide chriſtiana alienos, nihil autem in rempublicam molientes, cum Chriſtianam doctrinam amplecti nolunt quid durius, ſtatuunt, arma inferri queant? Sunt, qui affirmativam ad religionem naturalem, omnium aetatum communem, quam

GRO-

GROTIVS *l. c.* §. 45. veram vocat, notiones & actiones complectentem profitentes, aut notionum contemplativarum religionis naturalis primae caeteris evidentioris assertores restringunt; alii vero nullam opinionem, cui deest dolus & culpa, poenam aut animadversionem mereri, contendunt. Ipsa lex divina gentilium superstitionem maxime detestans, in idololatras mortis non statuebat poenam, nisi in illos, quorum facta circumstantiam habebant singularem. GROT. *l. c.* §. 47. Diffiteri non possumus, in gentilium religione multa ridicula adparere, sed sagaciores illa, quae de pluralitate DEORVM traduntur, de variis supremi Numinis potentiis & operationibus intelligebant, & quae praeterea in Poetarum fabulis ad DEI perfectiones parum quadrantia continentur, aliarum rerum aut actionum veritates, quae pro temporum illorum ratione symbolis tegebantur saepe involvere videntur. Iovis nomine, quem Graeco idiomate ζτώα, quod omnibus indulget vitam, vocabant, omnium rerum creatorem significabant. *Conf. oratio Aristiaei, pro aboluendis judaeis, apud Iosephum antiquitat. Iudaicar. lib. XII. cap. II. pag.* 305. Certum est, simplicem illorum, qui tantum naturae lumen sequebantur, DEI cultum, deinde varie conceptum, esse. Vide *nouveaux memoires sur l' Etat present de la Chine par le Pere Comte tom.* 2. *pag.* 93. *seqq.* Quod autem ad Christianam attinet religionem, novimus, eam, quatenus scilicet naturali ac primaeve religioni non pauca superaddit, argumentis mere naturalibus persuaderi non posse, sed niti historia tum resurrectionis Christi, tum miraculorum ab ipso & Apostolis editorum, quae res est facti, olim quidem irrefragabilibus testimoniis probata. Cumque haec sit quaestio facti & jam perantiqui inde fit ut doctrina haec ab his qui nunc eam primum audiunt, penitus in animum admitti nequeat, nisi secretis DEI auxiliis accedentibus. GROTIVS *de J. B. & P. lib. II. cap.*

cap. XX. §. 48. Nec oblivifcendum gentiles perfpicaciores cum ipfis, ut Chtiftianam amplecterentur religionem, perfuaderetur, ad nutum & arbitrium benigniffimi creatoris provocaffe. Notari merentur verba Siamenfium Regis, quae Ludovici XIV. Ablegato, ei Chriftianifmum, juffu Regis fui perfuadenti, refpondit. Apponamus illa prout a TACHARDO *dans le voyage de Siam* referuntur: *au refte je m' etonne, que le Roy de France mon bon ami s' intereffe fi fort dans une affaire, qui regarde Dieu, où il femble, que Dieu même ne prenne aucun intereft, & qu' il a entiérement laiffée á nôtre difcretion. Car ce vray Dieu qui a creé le ciel & la terre et toutes les créatures, qu' on y voit, & qui leur a donné des natures & des inclinations fi différentes, ne pouvoit - il pas, s' il eût voulu, en donnant aux hommes des corps & dés ames femblables, leur infpirer les memes fentimens pour la religion, qu' il faloit fuivre, & ponr le culte, qui luy étoit le plus agréable, & faire nâitre toutes les Nations dans une même Loy. Cet ordre parmi les hommes & cette unité de religion dependant abfolument de la Providence divine, qui pouvoit auffi aifement l' introduire dans le monde, que la diverfité des fectes, qui s' y font établies de tout tems: ne doit - on pas croire que le vray Dieu prend autant de plaifir, á eftre honoré par des cultes & des cérémonies differentes, qu' a eftre glorifié par une prodigieufe quantité de creatures, qui le loüent chacune á fa maniere? Cette beauté & cette varieté que nous admirons dans l' ordre naturel, feroient - elles moins admirables dans l' ordre furnaturel, ou moins dignes de la fageffe de Dieu? Quoy qu' il en foit, conclud fa Majefté, puisque nous fcavons que Dieu eft le maitre abfolu du monde, & que nous fommes perfuades, que rien ne fe fait contre fa volonté, je réfigne entierement ma Perfonne & mes Etats entre les bras de la miféricorde & de la Providence divine, & je conjure de tout mon coeur fon eternelle fageffe, d' en difpofer felon fon bon plaifir.* Vid. tamen

men apud autorem citatum, quae ad haec reſponſa ſunt. De cetero Chriſto placuit, ut nemo hujus vitae poenis aut earum metu ad ſuam pertrahatur legem, ſed, ut hoc a Doctoribus doctrinae integritate & morum probitate fieret, voluit Rom. XI, 15. Hebr. XI, 15. Ioh. VI. Plura ſcripturae loca refert Grotius l. c. num. 2.

§. III.

Cumque & gentilibus ob ſua tantum fidei dogmata, ſi crimen abeſt male habitis, auxilia ferri poſſint, quidni Chriſtianis, imprimis noſtram aut non admodum ab ea discrepantem fidei formulam ſequentibus, ad jura eorum, quae habent ex pacto aut indulgentia vindicanda, a Regibus & Principibus ſubveniendum eſſet. Pacta enim etiam nuda ſunt ſervanda, & qui ea non ſervat in ipſum jus naturae impingit.

§. IV.

Potiſſimum autem ſocius cogendi ſocium, ut foederis legibus & communi placito ſtet, jus habet. Grotius *de jure B. & P. lib. I. c.* 3. §. 21. *n.* 5. Et licet ſub Principis faederis, qui in rebus communibus jus imperandi habet, *Grotius l. c.* n. 8. directione ſummum tribunal & ſociorum unionis ſit concilium, in quibus quaerelae, ſi quis contra leges foederis agit, terminari ſolent: attamen ſi in juſtitia adminiſtranda aut executione nectitur mora, refractarius ſocius, qui conventionibus & pragmaticis ſanctionibus ſatisfacere negligit, a compaciſcentibus & foederis ſociis, jusbelli habentibus, armis, ut faciat, quae ſunt in pacto, adigi poteſt. Adeſt enim hic quaedam neceſſitas ſumma moralis, cum tot miſeri divinam humanamque opem implorent. Nam leges etiam DEI quaedam, quanquam generaliter

pro-

prolatae, tacitam habent exceptionem fummae neceffitatis. GROTIVS *d. I. B. & P. lib. I. c. 4.*

§. V.

Antequam autem ad arma procedendum, pacis funt exquirenda confilia. Nam cum fint duo genera decertandi, unum per difceptationem, alterum per vim, confugiendum eft ad pofterius, fi uti non licet priore. *Cicero de officiis lib. I.* Non autem temere eft gerendum bellum, licet jufta adfit cauffa. Dici enim nequit, quot quantaque mala bellum fecum ferat. GROTIVS *lib. II. cap.* 24. Et quamvis Plato puniendum cenfeat, qui vim & injuriam alteri illatam non arceat, hoc tamen, fi manifeftum eft periculum, nullaque in armis fpes falutis pro iis, quibus opem ferre volumus, omitti poteft. GROTIVS *d. I. B. & P. l. II. cap.* 25. §. 7. Lex enim amoris fui, ubi commode & fine fummo periculo alteri fubveniri non poteft, in collifione cum amore proximi, praerogativam habet.



ERRATA.

Pag. 14. linea 30. lege extremum. p. 15. l. 30. l. confessui. p. 28. l. 14. l. ravages. p. 42. l. 17. vox *probat* delenda est. p. 48. l. 5. leg. videntur. p. 57. l. 29. leg. martyrum p. 67. l. 23. leg. art. 5. §. 2. ibid. l. 24. leg. spectat. p. 75. l. 20. post verba *effectum est* adde Consiliis. p. 75. l. 15. leg. Christiana. p. 76. l. 9. leg. seditio. ibidem l. 23. leg. majoris. p. 77. l. 21. leg. afficiam. p. 77. l. 24. leg. a quoquam. ibid. l. 25. leg. ultro p. 78. l. 3. l. &. p. 84. l. 32. leg. inclinati. p. 85. l. 2. & 3. leg. Confoederationibus. Ceteros levioris notae errores, si forte festinantis typographi effugerint oculos, benevolus lector humaniter condonabit.



